OBSERVATIONES EPIDEMICORUM QUI AB ANNO 1747. USQUE AD ANNUM 1757...

Antonius Augustini







OBSERVATIONES
EPIDEMICORUM
QUI AB ANNO 1747.

USQUE

AD ANNUM 1757.

GRASSATI SUNT.



VENETIIS,
Apud Dominicum Lovisa.

SUPERIORUM PERMISSU.

MDCCLVIII.



VIRIS AMPLISSIMIS

Pietate, eruditione, justitia, morum integritate; & omnium virtutum genere quammaxime spectabilibus, Almæ Coneglanensium Urbis Consulibus.

PROVIDISSIMIS

JOANNI CARONELLI, MARCO ANTONIO DE MONTE ALBANO, JOANNI BAPTISTÆ GRATIANI.

Et reliquis omnibus ejusdem inclytæ Civitatis Consiliariis Nobilissimis:

Libellum hunc, ut publicum sit observantiæ, & grati erga illos animi Testimonium Dicat, & Offert AUCTOR

EPISTOLA.



Eneficia, quæ a Vobis accepi, Viri nobilissimi, tot sunt, & tanta, ut, si eorum numerum, aut magnitudinem vellem enarrare, dicendi finem nunquam facerem. Habeo enim a vobis, quidquid habeo. Vos me, parentes, Fratres & omnem familiam meam alitis. Dignas pro meritis in me vestris referre gratias, vires

 non

non sunt meæ. hoc, quâ possum, sempiterna eorumdem memoria obstrictum me Vobis futurum polliceor. Hæc tamen cum sæpe mente revolverem, summo incensus sum desiderio laborum meorum primitias Vobis dicandi, & hoc modo leve, sed aliquod observantiæ erga Vos meæ, & grati animi Testimonium exhibendi. Sed exilitas rei, quam vestro nomine insignire optabam, huic desiderio meo obstare videbatur. Comparata enim magnitudini vestræ, vilescit prorsus, & temeritatis fere me arguit. At rem melius consideranti, nullius esse, quod magni mihi videbatur, ponderis impedimentum hoc agnovi. Neque enim Magnanimi Viri servulorum Munuscula, licet exilia, despexerunt unquam; neque is ego sum, qui majora Vobis, & Amplitudini Vestræ convenientia queam offerre. Ad pedes igitur vestros Libellum hunc pono; eumdem Vobis do, dico, atque consecro. Benigno illum excipite animo. Si ea, quæ incæpi, Vobis non displicebunt, assiduis laboribus, diu noctuque enitar, ne Patrocinii Vestro indignus unquam videar. Valete

Omnium minimus, sed & observantissimus, & quammaxime Vobis devinctus Famulus

Antonius Augustini.

BE-

BENEVOLO
LECTORI.

CUm animum Medicinæ applicui, adeo morborum multitudine, & causarum, quæ hos gignunt, obscuritate territus fui, ut, de ingenii mei Viribus diffidens, vix unquam ad hanc Artem rectè exercendam me futurum parem existimaverim. Sed cum & ægri meam sæpe flagitarent opem, & Præceptor ipse meus objurgando impelleret, ut iisdem succurrerem, assiduis laboribus enixus sum, ut ingenii defectus diligentia suppleret. Ægros igitur invisens, omnia morbi phænomena exactè, & attente observabam, eademque in mente reposita, Domum reversus, conferebam cum illis morborum signis, quæ in meliorum Auctorum Libris descripta, phænomenis in Ægro notatis magis similia erant, & remedia ab iisdem laudata in similibus morbis adhibebam. Hac igitur cum

diligentia morborum symptomata observans, quolibet fere tempore in Ægrorum plerisque aliquid commune inveni, quod generalem aliquam causam indi carevidebatur. Didici hinc, commune illud eos morbos significare, qui stationarii, aut Epidemici dicuntur. Hos igitur in meis adversariis diligenter notanti, deinde illorum indolem, & prægressas aeris qualitates attente examinanti, haud prorsus imperscrutabiles illorum essentiæ, & causæ mihi visæ sunt. Quod ergo diuturna meditatione de his verum cognovisse credidi, id nunc in publicum edere non inutile existimavi. Originem hujus Libelli vides, benigne Lector, modum, quo illum exaravi, nunc accipe. Primum generalia quædam ad salutarem artem spectantia digessi: pauca illa quidem, sed & quæ maximum in Medicina usum habent, & quæ omnium certissima mihi visa sunt. Nihil in his posui, nisi quod a clarissimis probatum Auctoribus cum meis quoque observationibus conveniret omnino: Deinde Epidemicorum Historiam incæpi, quam cer-

te

te talem futuram polliceor, qualem ego ipse vidi. Denique cujuslibet Epidemici Historia verbis, quoad potui, clarioribus descripta, ejusdem Symptomata cum generalibus illis, quæ præmiseram, contuli, & quid inde deduci posse mihi visum est, narravi. Dissertationem de Belluarum Anima toti huic Operi præmittere non incongruum Duxi. Hanc enim ad ea, quæ de Natura, & ejus vi dicturus sum, intelligenda utilem, & fere necessariam puto. En autem Dissertationis occasio. Cum olim multæ physicæ controversiæ a studiosis quibusdam Adolescentibus agitarentur, orta est inter alias quæstio, cujusnam substantiæ esset Belluarum Anima. Quidam ex his Medicinæ Tyro contendebat, esse suo modo spiritualem, memoria, intellectu, voluntate suo modo præditam. Ego, qui inter eadem colloquia versabar, longe aliter ab illo sentiens, respondi, & Christiano, & Philosopho esse indignam sententiam suam; Brutorum vero actiones satis apte explicari posse, si pro illarum causa admittatur

principium illud actuosum, quod Hippocrates naturæ nomine insignivit. Ille domum reversus eruditam Orationem exaravit, in qua variis argumentis sententiam suam tueri conabatur, eamdemque post aliquot dies mihi misit. Ego contra hanc, quam nunc aliquantum expolitam publico examini subjicio, conscripsi Dissertationem: sic melius cognoscetur, quid naturæ nomine intelligam. Bono igitur animo libellum hunc accipe, Lector Benevole, sic imposterum majori alacritate historiam hanc persequar. Vale



DIS-

DISSERTATIO
DE BELLUARUM ANIMA

cujus initium idcirco omisi, ne, quod in præfatione jam dixi, frustra repeterem.

CHristiano esse indignam sententiam tuam adeo manifestum existimo, ut demonstratione non egeat. Cum enim Divinus Spiritus Belluarum Animam e Terra (*a*) genitam fuisse, (*b*) residere in sanguine, immo esse (*c*) sanguinem ipsum, (*d*) comedi posse, (*e*) intellectu carere, apertissimis, & evidentissimis verbis docuerit; non video, quomodo a Christiano admitti queat Thesis illa, quæ eandem, & spiritualis substantiæ, & memoria, intellectu, voluntate præditam esse dicit. Præterea observastine unquam, quam parvi fecerit Belluarum Animas ille, qui easdem condidit, & qui earum essentiam solus novit penitus? En! Dum Belluas creat, iis (*f*) utitur verbis, quibus in rerum omnium sensu destitutarum creatione usus est. Postquam vero illas creavit, statim pedibus hominum subjecit, amplif-

(a) *Genes. cap.* 2. (b) *Levit. cap.* 12. (c) *Deuter. cap.* 12. (d) *ibid.* (e) *Psal.* 31. (f) *Imperativo modo locutus est.*

amplissimam iisdem facultatem dedit Bestias verberandi, secandi, interficiendi, urendi, (a) comedendi, &, ut verbo omnia complectar, tanti easdem, quanti ligna, (b) lapides, & reliqua omnia sensibus carentia existimavit. Contra vero animadvertistine, quanti humanas Animas, & Homines ipsos fecerit, idem Sapientissimus Deus? Vide, quod in Hominum Creatione operosa fere videtur Divina Sapientia: *Faciamus, inquit, Hominem.* Eundem imagine sua ornat: *Faciamus Hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Ipsum Universi Mundi Dominum constituit: *Et præsit piscibus Maris, & Volatilibus Cœli, & Bestiis, universæque Terræ, omnique reptili, quod movetur in Terra.* Cum autem propter primi Hominis inobedientiam peccatum intrasset in Mundum, & jam humana Caro in malum prona, & in omne vitium proclivis esset sanctissimis cavit præceptis, quæ & in cordibus hominum scripsit, & in Tabulis impressa Moysi dedit, ne homo ab homine læderetur: immensa præmia pollicitus est illi, qui homines amaverit: reum Gehennæ esse voluit, qui inimicos non dilexerit, & qui Fratri suo dixerit Fatue. Sed parva sunt hæc. Audite Cœli! quæ loquor. Audiat Terra, & obstupescat! Ipsa increata Sapientia, ipse Unigenitus Omnipotentis Filius, ipse per se Beatus, & nullius rei indigens

(a) *Nempe statim post diluvium.* (b) *Genes. c. 9.*

gens universorum Principium, Causa, & Finis Deus humana indutus est Carne, infinitas miserias, atrocissima tormenta, dirissimam mortem pertulit, nullam aliam ob causam, nisi, ut hominis Animam a Diaboli servitute liberaret, ut eamdem æterna Gloria dignam redderet, ut ipsam denique non modo in imagine, sed etiam in Beatitudine Deo similem faceret. Et non pudebit Christianum virum opinionis illius, quæ Animam hanc a porcorum, & Fœdissimorum quorumcumque Brutorum Anima vix dissimilem putat? quæ eandem utrique tribuit essentiam, eandem cum Deo (*a*) similitudinem? Quæ nullum aliud inter eas discrimen ponit, nisi secundum magis, & minus, nisi illud, quod inter supremum, & infimum Angelorum Chorum potest intercedere? Quid ad hæc charissime mihi? Si enim tam indignam foves sententiam, aliqua veri specie eris deceptus. Id enim & religio, quam colis sanctissime, & incorrupti mores tui mihi persuadent. Ut Textibus sacræ Scripturæ a me allatis respondeas, alios ejusdem sacræ Scripturæ Textus affers, in quibus cogitatio, & intellectus: immo virtutes ipsæ Belluarum Animabus tribui videntur. *Sicut pullus Hirundinis, sic clamabo, Meditabor ut columba.* Exechias. *Vade ad Formicam, o Piger, & considera vias ejus, &* disce

(a) *Memoriam enim, intellectum, & voluntatem esse hominis cum Deo similitudinem ajunt S. Patres.*

disce sapientiam. Salomon. *Estote prudentes, sicuti serpentes, & simplices sicuti columbæ*. Sic docebat Christus Apostolos. Sed, pace dicam tua, Futilis nimium, & ingenio tuo indigna est hæc responsio. Si enim metaphoricum loquendi modum hic non vides, nihil profecto vides. Ignorasne, Divinum spiritum ea, quæ scripsit, ad nostram utilitatem, & eruditionem scripsisse? Quid ergo mirum? Si in Textibus a te allatis eo locutus est modo, qui & ad ignavos excitandos, & ad ignorantes edocendos aptior est, qui cum sensu hominum communi magis convenit, qui magis pervulgatus est, & popularis; & adhibetur non modo ab iis, qui tecum sentiunt, sed etiam ab illis, qui a tua opinione longe absunt. (*a*) Contra vero in Textibus a me allatis, ut sonant, accipi debent verba: Manifesta enim ibi doctrina traditur a communi hominum sensu omnino recedens. Veniamus nunc ad aliud, quod magni ponderis esse putas argumentum, ut Thesim tuam Christiano non indignam probes. Infinita, inquis, est Dei Sapientia; Intellectu ergo nostro metienda non est, nec quid illi conveniat, aut non, ratione nostra determinandum. Infinita esse queunt, quæ divinis Attributis repugnantia videri possunt, iis tamen optime convenient. Hoccine igitur est argumentum illud, quod tanti facis?

At

(a) *Vide Senec. Lib. de ira, & Spectacul. natura variis locis.*

At si res ita se habet, cur diurnis, nocturnique meditationibus cerebrum vestrum torquetis ingeniosissimi Theologi? Cur & Diuturna librorum lectione, & assidua subtilissimarum quæstionum agitatione mentem vestram exacuere tentatis? Cur tam pulchra, tam sublimia, tam rationi convenientia de Deo scribitis? Unicum inventum est argumentum, quo Idolatræ, & Barbari omnes absurdissima quæque Deo tribuentes facillime Syllogismos vestros refellere, opiniones vero suas quam validissime firmare possunt. Ea enim quæ vos de Deo dicitis, quamvis pulchra, quamvis veri maxime similia, quamvis divinis Attributis optime convenientia, tamen Deo indigna esse possunt: Illa autem, quæ ab iis Deo tribuuntur, quamvis absurda, quamvis summo illo optimo, & perfectissimo Ente Indigna videantur, tamen nihil eidem repugnantia esse queunt: neque enim determinare potest humana ratio, quid Deo conveniat, aut non Cæcitatem maximam! Quo te rapit præconceptæ opinionis amor? Non vides quæso, qua in occasione valeat, & magni ponderis sit argumentum tuum? Si Scriptura Sacra, vel sancta Mater Ecclesia aliquid nos doceat, quod ab intellectu nostro comprehendi non possit; immo quod rationi nostræ etiam repugnet; illud tamen firmissime tenendum est. Hoc enim & summa Ecclesiæ, Auctoritas, & mentis nostræ exilitas, ac infirmitas exigunt. Non idcirco tamen licebit absurdissima quæque de Deo

ex-

excogitare, & fingere, ut futili Hypothesi sacris etiam Literis evidentissime repugnanti inserviamus. Plurima, quæ huc afferri possent, (*a*) argumenta lubens, & sciens omitto, ne nimium excrescat oratio mea. Aliam igitur Propositionis meæ partem breviter considerabo, in qua sententiam tuam Philosopho quoque indignam esse contendo. Rerum omnium, quæ in hoc Mundo continentur, aliquod præexistisse principium Physici fere omnes fatentur. Hoc autem sapientissimum, & Providentissimum esse Universus clamat Creaturarum Chorus. Ita enim in pondere, numero & mensura dispositæ fuerunt, ut, si quid illis addere, aut auferre vellemus, statim illarum perfectioni aliquid detractum esset. Sane, dum quamlibet physicam rem attente perpendimus, & illius Fabricam, indolem, proprietates recte cognoscimus; ita egregie elaboratam invenimus, ut deficiat illi nihil, nihil supersit. Sapientis ergo erit, creaturas etiam illas, quarum essentiam non comprehendit omnino, eadem tamen perfectione conditas credere. His autem positis, videamus nunc, quam parum Veræ Sapientiæ amatori conveniat Thesis tua. Dedit Deus rationem hominibus: ejusdem vero rationis opera ita necessaria illis sunt, ut iisdem destituti durare diu non possint. E matris gremio exit homo; Obstetrix statim necessaria est, quæ umbilicum secet,

(*a*) *Neque enim hæc ad physicos spectant.*

fecet, & liget apte. idm fiat, mortales fæpe fuperveniunt Hæmorrhææ. Nudus nafcitur, & arte indiget, quæ domos condat, veftes paret, Frigus, & reliquas aeris injurias arceat. Terra, nifi culta, nihil præter fpinas, & tribulos illi germinat. (*a*) Manus vera rationis, & ingenii miniftra illi foli inter reliqua Animalia tribuitur; ut intelligat ad laborem natum effe; & infudore vultus fui vefci debere pane fuo. Belluæ contra pariunt abfque ullius aut hominis, aut alterius Animalis adjumento: Mater umbilicalem fœtus funem morfu abrumpit, nec Hæmorrhæa ulla fuccedit. Illarum nuditas veftibus tegitur, quæ leviores funt æftivo tempore, crefcunt vero, denfantur, & ad arcendum frigus aptiores fiunt hyberno: cibos nutrimenta, & quidquid illis opus eft, fponte natura illis profert. Cur igitur tantum inter hominis, & Belluæ conditionem intercedit difcrimen, fi utrumque Animal ratione pollet? Cur nafcitur, crefcit, vivit Bellua abfque ullo rationis adjumento; Hoc vero, & in ipfo ortu, & ftatim poft ortum, & in tota vita adeo indiget humanum genus, ut illo deftitutum citò periret? Cur rationis miniftra nulli Animalium præter hominem manus contigit? Cur denique fupervacanea in belluis, abfolute neceffaria in hominibus funt rationis opera? Sed ais, nonne multa bruta animalia & domos fibi fabricant ut Cafto-

(a) *Boerhav. inftit. Medic. para.* 412. *nota* 2.

stores; & industria victum quærunt ut araneæ; & civitates integras ædificant ut apes? Nonnè Providentissimus Deus & gladios, & cuneos, & serras, & uncos, & infinita alia, quæ manuum vicem gerere possunt, dedit illis Instrumenta? En scopulus! cui necesse est, ut allidant illi omnes, qui tecum sentiunt. Si enim hæc, quæ tu notasti, & alia his similia a belluarum intellectu penderent opera illarum ratio superaret immensum humanam rationem. Eadem enim Divina Sapientia, quæ in reliquis naturæ operibus nitet, etiam in his belluarum actionibus splendet quam evidentissime. Naturalium rerum Historias lege, & perlege: descriptas ibi belluarum operationes attente examina; arte summa, sapientia summa omnes fieri invenies. (a) Hoc tamen inter illas, & hominis actiones discrimen reperies, quod belluæ artes suas & discant, & exerceant nullo docente; ideoque illarum artium cognitio insita illis fuit a Deo. Homo contra observatione, experimentis, labore suarum artium cognitionem acquirit. Instrumenta vero, quæ in belluis manuum vicem gerere tu dicis, idonea solummodo sunt ad illud simplex perficiendum opus, quod singula brutorum species debet efficere; ideoque si bellua novum aliud opus excogitare posset, apto ad illud exequendum pareret organo; manus contra idoneum est instrumentum ad omnia illa per-

(a) *Vide Spect. Natur. variis locis.*

perficienda, quæ a mundi initio usque ad hunc diem humanum ingenium invenit, & infinita etiam alia, quæ in posterum idem ingenium poterit invenire. Sed transeamus ad argumenta illa, quæ propius ad quæstionem nostram spectant. Quoniam igitur rationem belluis tribuis, consideremus paulisper, quid hæc ipsa ratio sit: sic fortasse reperietur signum aliquod, ex quo innotescet quibus in animalibus eadem existat. Anima humana ope sensuum plurimas acquirit ideas, has dum seorsim contemplatur, judicium nullum fit. Dum vero easdem inter se confert, convenire alias, discrepare alias videt: ex. g. ideam binarii numeri repetiti bis confert cum idea quaternarii; primam cum secunda convenire prorsus videt; ideoque binarium numerum repetitum bis, & quaternarium eamdem rem esse judicat. Contra vero circuli & trianguli ideas inter se conferens, eas quam maxime discrepare agnoscit: has igitur figuras diversissimas esse decernit. Facillima hæc sunt, & certissima de simplicissimis rebus judicia. Talia vero non sunt illa, in quibus compositæ species conferuntur, & illarum convenientia, aut diversitas determinatur. Ex. g. vides album Corpus, spiritui sulphuris mixtum ebullire; deinde aliud, similiter album eidem spiritui pariter mixtum eodem modo cernis effervescere: si statim judicas, hæc duo corpora ejusdem esse naturæ, fortasse falleris: nam primum sal aliquod alkalinum

esse potest, secundum testaceum aliquod. Notiones enim, quibus hæc corpora distinguuntur, simplices non sunt, sed compositæ; ideoque antequam illorum identitatem, aut discrepantiam determines, necesse est, ut singulas ideas simplices, ex quibus integræ illorum corporum ideæ componuntur, seorsim inter se conferas, & ex omnium harum convenientia, aut diversitate illorum quoque Corporum identitatem, aut discrepantiam decernas. Hæc sunt totius humanæ ratiocinationis elementa prima; simplicia illa quidem, & vilia apparent, ex quibus tamen omnes & scientiæ, & artes ortæ sunt. Mathematicorum definitiones, & axiomata considera: Quid illis simplicius, aut magis notum? Ex his tamen explicantur, & demonstrantur evidentissime sublimiores etiam propositiones. Momenta Corporum esse in ratione composita ex pondere, & velocitate quotidie nobis sensus ostendunt. Hoc tamen est Mechanicæ totius fundamentum primum, cui originem suam debent ingeniosissimæ etiam Mechanicorum Machinæ. Dum enim ideæ inter se conferuntur, judicium oritur, ex judiciis vero tota quanta est, humana fit ratiocinatio. Videmus autem ex his, quod ex idearum collatione oriantur in nobis necessario notiones aliquæ ab iis ipsis ideis, quas antea contulimus diversæ. Ex. gr. ideam lineæ A — B confers cum idea aperturæ circini; deinde lineam D — E cum idea ejusdem aper-

turæ

turæ confers. Ex hac collatione acquiris necessario ideam æqualitatis, aut inequalitatis linearum, quam ante hanc collationem non habebas. Ea enim, quæ uni tertio æqualia sunt, esse etiam inter se æqualia sensus ipsi ostendunt. Eodem modo in omni syllogismo subjectum cum medio termino confers, deinde Attributum cum eodem medio termino; sic oritur necessario conclusio, quæ est nova cognitio, quam ante syllogismum non habebas. Inventio igitur est effectus essentialis, necessarius rationis, sine quo ratio ipsa nunquam esse potest. Hæc igitur erit ratiocinationis essentiale signum, quod non modo ejusdem natura recte considerata nobis ostendit, sed & observatio ab ipso Mundi initio usque ad hunc diem demonstravit constantissime. Obstupescit humanus intellectus dum partus suos contemplatur; idest dum illa considerat, quæ ipse tamen reperit. Geometrarum, Astronomorum, Mechanicorum, Philosophorum omnium inventa examina. Stupebis: illam divinæ particulam auræ summarum virium esse fateberis. Nonne cum ipsa Dei sapientia fere contendit? Dum illas de mundi origine, de primis rerum omnium principiis, & causis subtilissimas hypotheses excogitat, & fingit. Modum certe, & ordinem, quo universus hic creari poterat, audet determinare. O immensam, exclamas, hominis superbiam! Recte; sed o immensam etiam humanæ intelligentiæ

potentiam? Consideratà ratiocinationis naturâ, illius vires agnovimus, nunc ope ejusdem considerationis illius mistenus invenemus notavimus supra, quod in compositarum idearum collatione necesse est, ut singulæ simplices species, ex quibus compositæ illæ fiunt, seorsim examinentur, & ex omnium convenientia, aut diversitate compositarum quoque idearum identitas, aut discrepantia determinetur. Plurimæ sunt causæ, ex quibus fit, ut homo impatiens, & superbum animal hac diligentia, & attentione compositas ideas non examinet. Has vero causas nemo mortalium adhuc evitavit omnes: hinc quotidiani in judiciis nostris oriuntur errores. Medicorum, Theologorum, Physicorum omnium scripta evolve. Quam dissentiunt super iisdem rebus scriptorum Principes! Quot futiles hypothesis! Quot Fabulæ! Quot Absurda! Quot Falsa! Quot rationi maxime repugnantia ab illis dicta, inveniuntur? Nec magis vera sunt in reliquis rebus hominum judicia. Quot capita, tot sententiæ. Hinc mira illa opinionum tam in scientiis, quam in artibus vicissitudo oritur. Hæc igitur cum ita se habeant, duo erunt ratiocinationis signa, inventio nempe, & error. Nunc a te quæro, quodnam ex his signis a belluarum operationibus indicetur. Inventionis certe signa nulla in iis reperimus: eodem enim modo, quo antiquissimis temporibus, hodie etiam & nidificant aves, & araneæ texunt, & mell-

mellificant apes, & reliquas actiones suas omnes peragunt belluæ; nihil illis additum, detractum nihil, novi nihil inventum. Praeterea scientiarum omnium, quarum semina sensus, & observatio, ut nobis, ita etiam brutis animantibus exhibere possunt, ne vestigium quidem ullum in iisdem cernitur. De artibus vero idem intellige. Neque errare in suis actionibus belluæ dici possunt, nisi a sensibus fallantur. Omnia enim illa discrimina, quæ in brutorum ejusdem speciei operibus, observantur, pendent evidentissime a majori, aut minori perfectione structuræ organorum, ex quibus eorumdem animalium constant corpora: quemadmodum homines ipsi, alii ad musicam, alii ad choreas ducendas, alii ad alia opera aptiores nascuntur, & idcirco ea melius perficiunt. Hæc igitur discrimina belluas erroris arguere nullo modo possunt. Quamobrem, cum neque inventionis, neque erroris inditium ullum in brutorum actionibus inveniatur, & ideo desint iisdem illa duo signa, quorum unum essentiale est rationi, & necessarium, alterum ita illi adjunctum, ut vix ab eadem separari queat, oportet fateri, ratiocinatione belluas carere. At, inquis, si hac destituuntur, quomodo intelligi, quomodo explicari poterunt illarum operationes? Cur tanta inter has, & hominum actiones intercedit similitudo? Nonne & memoriam ostendunt, dum domum revertuntur, viam alias percursam

tam prompte inveniunt: Et intellectum demonstratum, dum bonum appetunt, malum horrent, pericula evitant, voces hominum intelligunt, jussa exequuntur? Concipi ne unquam poterit actiones has fieri ab animali ratione omni destituto? Res ita sit, comprehendi nullo modo queat. Quid ideo? Erit ne hæc prima, & unica res, quæ in majestate naturæ latebit? Licebit ne idcirco absurdissimam fovere opinionem sacris Litteris, divinis attributis, rationi ipsi quam maxime repugnantem, ut futili, & falsa ignotæ rei explicatione superbiæ nostræ blandiamur? Sed neque adeo occulta, & inexplicabilis res est. Hæc enim eodem modo cognosci potest, quo reliqua fere omnia ad Physicam spectantia intelliguntur. Dixi supra pro belluarum Anima admitti posse principium illud actuosum, quod ab Hippocrate natura vocatum fuit. Videamus nunc primo, quid principii actuosi nomine intelligi debeat, deinde cujusnam generis, & indolis principium hoc sit. Corpora in hoc mundo posita variis agitari motibus cernimus quotidie. Illi autem non casu fiunt, sed secundum certas, determinatas, & immutabiles regulas. Corpus motum, dum in aliud quietum impingit, tantum de suo motu amittit, quantum alteri communicat. Grave deorsum fertur ea constanti lege, ut spatia percursa sint, ut quadrata temporum: Eodemque modo de aliis motibus existima. Si motuum horum causam a

Phy-

Physicis quæramus, ignorantiam suam fatentur omnes veræ Sapientiæ Amatores. Quid enim est illud quod a percutiente in percussum corpus transit, illudque movet? Quæ vis (a) in fermentatione oleosas particulas in spiritum ardentem mutat? Quæ in putredine mixtum resolvit, & sales invertit? Quid ignem generat? Quid vitales succos per omnia plantæ organa impellit? Quid (b) gravitatem, magnetismum, electricitatem, attractionem, elasticitatem facit? Sunt ne hæc entia realia in mundi initio a Creatore summo corporibus insita, quæ hæc diversis agant motibus? An nihil aliud sunt, nisi constantissimæ, & immutabiles leges, quibus idem Sapientissimus Creator decrevit, ut corpora ex se ipsis in diversis circumstantiis, & conditionibus posita, variis se se agitent motibus? Hæc omnia nos latent, & qui aliis magis sapere voluerunt & aliquam horum motuum explicationem tradere, rem magis intricatam reddidere. Causas tamen, quæcumque illæ sint, quæ hos motus generant, principia actuosa appello. Horum indolem dum Physici examinant, conditiones, & circumstantias inquirere solent, quibus positis, hoc, aut illud principium agit: deinde quinam sit hujus, aut illius principii

B 4 con-

(a) *Sive potius quid hæc ipsa vis est.* (b) *Vide Element Physic. Clar. Muskembroek' in quibus nobiliores hypotheses pro horum motuum explicatione excogitata refutat.*

conſtans effectus. Qui ultra de his quærit, fortaſſe limites humano intellectui præſcriptos tranſire tentat. Poſtquam igitur ſatis explicavimus, quid principii actuoſi nomine intelligendum ſit, inquiramus nunc, an in hominibus inveniatur tale aliquod principium a rationali Anima diverſum, quod in Belluis ſufficiens cauſa eſſe queat actionum illarum, quæ ab iis exercentur. Nemo enim ſanæ mentis id Brutis Animantibus negabit, ſi in hominibus reperiet. Tale autem eſſe contendo principium illud, quod Hippocrates Naturam vocavit. Id autem ut demonſtrem, hujus potentiæ vires, & proprietates in hominibus examinandæ prius ſunt. Hæc humanum corpus tutatur, liberat a morbis, defendit a lædentibus, variiſque motibus ita agitat, prout tempus, & circumſtantiæ, in quibus ponitur, requirunt. Plures motus excitat ignorante Anima, aliquando etiam contra voluntatis imperium operatur, ſæpe rationis famula, & miniſtra eſt. Ea opera, in quibus Animæ inſervit, quo frequentius exequitur, eo facilius peragit. Exemplis res patebit. Hominis in ſolem figentis oculos pupillam obſerva: vide quam ſtringatur ejuſdem foramen. Quare id fiat, jam ſcis, nempe ut tenerrima retina a nimia radiorum vi (*a*) defendatur. Eumdem hominem

duc

(*a*) *Si quis hos motus ab anima rationali pendere exiſtimaret, legat clariſs. Hallerum Sthalii opinionem ſolidiſſime refutantem.*

duc in obscurum locum. Attende quam dilatetur idem foramen, ejusdem diameter tripla est prioris diametri, ideoque ipsius area novem cupla est prioris areæ (a). Cur tanta diversitas? res per se patet; nempe rarissima luce atmosphæra tunc repletur; dilatanda ergo erat pupilla, ut plurimos reciperet radios, qui retinam afficerent. Auditus organum nunc considera: Vide quam apte mallei musculi in ejusdem processus inserantur, ut pluribus, & diversissimis tensionibus membranam tympani cuicumque tonno harmonicam possint reddere. Famelico homini cibum ostende; papillæ in linguæ superficie positæ statim eriguntur, saliva os repletur, ut sapor melius sentiri, & digestio incipi possit. Cibo mixtum venenum ingeritur; ubi in ventriculum pervenit, statim hostis noscitur; emungunt ergo se omnes vicinæ glandulæ, sua liquida huc mittunt, inimicum diluere, & mitiorem tentant reddere: ventriculus vero miris motibus seipsum fere invertit, & venenum expellere conatur. Crudum, & acre liquidum nervos irritat; obtundendum est, & expellendum: contrahitur ergo majori vi, & celeritare cor; vibrant vehementius, & frequentius arteriæ, hostilis succus vincitur, & per apta excretoria e corpore deturbatur. Quam pulchri sunt hi motus, quam tempori, circumstantiis, & rationi convenientes. Quis hos perficit? quis pupil-
lam

(a) *Euclid. Lib. 12. prop. 2.*

lam dilatat, & stringit? Quis tympani membranam sonoris aeris externi tremoribus harmonicam reddit? Quis papillas erigit, glandulas emungit, ventriculum invertit, inimicos succos vincit, & expellit? An Boerhaavii (*a*) clateria? An Mechanicæ vires ad hos motus gignendos sufficiunt? Certe neque ex machinæ nostræ structura hactenus cognita, neque ex generalibus omnium corporum viribus deducentur unquam. Omnes hi motus fiunt in organis, quæ voluntati nunquam obnoxia fuerunt. Videamus nunc illos, qui, quamvis fiant in machinis, quæ rationali Animæ famulari solent, tamen, & ignorante illa, & aliquando etiam contra illius nutum fiunt. Amicus in oculos tuos pugnum impingere minatur; quamvis nihil ab eodem metuas, tamen palpebræ etiam te invito contrahunt se violente, & modo quo possunt, tenerrimam oculi fabricam ab ictu defendunt. Dum ludit cum sociis puer, & præcipiti cursu eosdem sequitur, procumbit. Ejusdem anima aliis intenta rebus vix casum advertit: sed tamen providæ manus nullo imperante eriguntur, se ipsas in terram figunt, cadentis & gravis corporis impetum sustinent, caput, Thoracem & Abdomen nobilissimas, & maxime necessa-
rias

(a) *Vid. not. 1. ad par. 4. instit. medicar. quamvis alibi in humano corpore vires adesse fateatur, quæ illi sunt propriæ, & in mortuis non reperiuntur corporibus.*

rias corporis partes tuentur. Eodem modo ... Sed quis esset dicendi finis, si omnes hos motus enumerare vellem? Dicam verbo. Nullus est musculus voluntati obnoxius, qui aliquando absque illius imperio non operetur, si sua contractione a subito aliquo, & improviso malo corpus possit defendere. Dum homines de horum motuum origine interrogantur (o res mira! agnoscit vulgus, quod Physici in rebus nimium obscuris investigandis tempus terentes vix intelligunt) naturam illorum omnium causam esse fatentur. Si igitur horum ipsorum motuum, qui ab Anima rationali non pendent, eidem principio in Belluis originem tribuero, nemo, ut opinor, mihi contradicet. Reliquum igitur est, ut modum explicem, quo in belluis fieri queant motus illi, qui in nobis a voluntate pendent. Notum est ex Physiologicis ad contractionem musculorum intervenientium Animæ necesse esse, ut majori copia influant spiritus in eosdem musculos. Quænam igitur causa in hominibus majorem hunc influxum facit? Anima, inquis. Egregie. Sed quæro a Te. Surrexisti unquam e lecto? exiisti e cubili, urbem perambulasti, nihil de his motibus cogitans, aliis, & diversissimis rebus intentus? Utique, ais: sed hos motus, antequam e lecto surgerem, volui. At, dum Anima de his ne cogitabat quidem, quis spiritus in musculos pepulit? Respondes iterum: Post Animæ meæ imperium

ner-

nervorum canaliculi aperti remanserunt; vi ergo confuetudinis fluxerunt fpiritus. Bone Deus! Vi confuetudinis fluxerunt fpiritus? Vi confuetudinis tot, & tam mirabiles motus peracti? At quænam eft ifta mechanica machina, quæ vi confuetudinis a fe ipfa moveatur? Tolle ab Horologio, quod per plures etiam annos tempus notaverit, pondus, aut elaterium; non ne quiefcit in æternum? Cur ergo hic confuetudo tantum valet, fi mechanica caufa, ideft folus fpirituum impulfus femel excitatus hos motus gignit? Adverte autem, quod, dum e lecto furgis, exis e domo, urbem perambulas, omnes fere mufculi voluntati infervientes contrahi debent; ideoque quamvis celerior fpirituum influxus ab Anima femel excitatus vi confuetudinis perfeveraret, id tamen ad eos motus perficiendos non fufficeret. Perennis enim ille fpirituum influxus eos folos mufculos inflare poteft, qui in horum motuum initio contrahi debent. Quænam igitur caufa hunc influxum tardiorem reddidit, dum iidem mufculi quieverunt? Quænam, iterum celeriorem fecit, dum denuo contracti funt? Quænam fpirituum velocitatem auxit in iis nervis, qui illis machinis inferviunt, quæ diu poft Animæ imperium motæ funt? Quis eofdem per tam varias vias duxit, ut tot diverfos mufculos inflarent? Quis illos adeo egregie edocuit, ut in quemlibet mufculum ea quantitate influerent, quæ ad illud determinatum

tum motum gignendum necessaria erat? Nonne liquet evidentissime, neque solum Animæ impulsum, neque solas mechanicas vires ad hos motus perficiendos sufficere, sed alias hic adesse debere causas, alia principia, quæ novis, & non alibi observatis legibus animi mandata exequerentur? Hæc autem principia, quæ naturam vulgus ipse appellat, eo facilius, & melius animi jussa exequuntur, quo frequentius eadem perficiunt. Immo ea, quæ ab Anima frequenter imperari solent, aliquando etiam illa inscia peragunt. At, inquis, quomodo hæc ad Quæstionem nostram? Quid mea interest, utrum Anima immediate spiritus moveat, an hoc naturæ ope peragat? Si in belluis rationalis Anima non adest, quænam erunt conditiones illæ, quæ illarum naturam ad eos motus gignendos excitabunt, qui humanis tam similes sunt? Huc te oratione pertrahere volebam. Si enim conditiones aliquas invenero, quæ belluarum animam ad eas actiones gignendas determinare queant, quæ nostris simillimæ sunt, si iis positis eodem modo operetur, quo natura nostra, jam Quæstioni, ut opinor, satisfactum erit. Hæ vero facili negotio reperiri poterunt, si paulisper Animæ nostræ interni sensus examinentur. Homini considerando mentem si quis applicat, substantiis quam maxime inter se diversis illum constare facile noscit. Miratur humanum corpus elaboratissimi Artificii perfectissimam

firmam machinam, cujus tamen attributa ab aliorum corporum attributis ne hilum quidem differunt. Contemplatur in Anima cogitationem, memoriam, intellectum, voluntatem, affectus varios. Nihil ergo habet illa cum corporis essentia comune. Tamen hæc immortalis, & incorruptibilis substantia suo fungi nequit officio, nisi a corruptibili hoc corpusculo adjuvetur. Hoc enim valente valent etiam animæ vires; ægrotante illo, aut cessante ejusdem actione ægrotant quoque, aut cessant omnes Animæ operationes. Necesse est igitur in humano corpore adesse conditiones aliquas, quibus & cogitatio, & reminiscentia, & reliqui animæ sensus alligentur. Hæ vero conditiones, ut docent omnes Physiologi, nihil aliud sunt, nisi effectus illi, qui ab objectis sensibilibus in sensorio comuni excitantur. Cum autem effectus hi eodem modo, quo in nobis, in Belluis quoque excitentur, liquet eosdem esse posse conditiones illas, quæ belluarum naturam ad eas actiones gignendas determinent, quæ nostris sunt quam simillimæ. Exemplis res clarissima reddetur. Objectum sensibile Saccharum ex. gr. nervosas papillas in linguæ superficie positas vellicat; ab hac vellicatione oritur necessario quædam motus perturbatio in spiritibus illis, qui in eisdem papillis continentur. Hi ergo spiritus vicinos alios in iisdem tubulis contentos perturbant, & hi superius positos; donec illa motus perturba-

tio ad nervi originem pertingat: quemadmodum in Tubo Hugenii Sphæra prima suum motum communicabat secundæ, hæc tertiæ, & sic deinceps; donec primæ sphæræ motus ad ultimam perveniebat. Hæc autem motus perturbatio ad nervi initium, idest ad sensorium commune pertingens aliquam ibi necessario mechanicam mutationem inducit, quæ impressio dicitur; ab hac vero oritur constantissime in Anima nostra idea saporis dulcis. O res humanam intelligentiam longe exsuperans! Ergo Anima, & Corpus, idest substantiæ, quæ nihil habent inter se commune, affectiones tamen suas vicissim communicabunt! Ergo a mechanica Corporis mutatione orietur idea in mente, quæ neque de objecto (*a*) sensibili, neque de ejusdem actione, neque de organi ipsius passione quicquam repræsentat ab his omnibus quam diversissima! Ita est, ita experimur quotidie, quamvis modum, quo id fiat, assequi nullo modo possimus. Intelligimus tamen hinc facile, easdem impressiones esse posse conditiones illas, quæ Belluarum naturam ad eos motus gignendos determinent, qui a nobis fieri solent, quotiescumque eæ ipsæ impressiones, & ideæ iisdem respondentes in mente nostra excitantur. Cognoscimus præterea, unde reminiscentiæ, & ratiocina-

(*a*) *Ut in exemplo supra allato. Cæterum aliquando ideæ nostræ repræsentant veros corporum modos, ut idea magnitudinis figuræ.*

cinationis species quædam in belluis oriatur. Quemadmodum enim in nobis tamdiu durat rerum memoria, quamdiu impressiones illæ in cerebro conservantur, & reminiscentia excitatur, dum spiritus majori copia, aut velocitate fluunt per illas sensorii communis partes, in quibus illæ impressiones ponuntur, ratiocinatio vero, quotiescumque eædem conferuntur inter se: ita quoque similes causæ belluarum naturam ad eos motus gignendos determinare possunt, qui in iisdem memoriæ, reminiscentiæ, & ratiocinationis similitudinem quamdam referunt. Liquet etiam evidenter, quare bruta animantia alia magis stupida, alia magis ingeniosa videantur; quare aliqua majorem, aliqua minorem ostendant memoriam, quare delirium in iisdem aliquando oriatur; quare denique turbari queant omnes actiones illæ, quæ in belluis sensum, & intelligentiam videntur ostendere. Illæ enim ut in nobis, ita in brutis animalibus a recta cerebri, & spirituum constitutione pendent; & ea, quæ sensorium commune, aut spiritus lædunt, easdem quoque actiones turbant. Reliquum est, ut illud, quod huic opinioni meæ opposuisti, breviter diluam: hoc autem postquam fecero, perorabo. Eadem inquis, conditio eidem principio physico applicata ad eosdem motus peragendos illud semper (a) excitat.

(a) *Constantia, quæ in omnibus universæ naturæ actionibus observatur, id evidenter probat.*

citat. Cur ergo in belluarum Anima idem non accidit, si illa nihil aliud est, nisi principium physicum? Ostende enim lignum duobus Canibus, fugiet unus, irruet in te alter. Nonne idem lignum eamdem impressionem in Canum cerebro facit? Nonne hæc impressio est illa conditio, quæ canum animam ad has actiones determinat? Cur ergo in his tantum discrimen? Verissimum certe est, quod principia actuosa physica in iisdem circumstantiis, & conditionibus posita eodem modo semper operentur; sed verissimum est quoque, quod omnes conditionum illarum diversitates, quæ horum actiones immutare possunt, homo cognoscere semper non possit. Ab objectis sensibilibus effectus aliquos excitari debere in sensorio communi scio. Quid illi sint, ignoro. Multominus illorum differentias determinare potero. Canum cerebra, spiritus illorum, temperamenta quammaxime diversa esse possunt; pro horum igitur varietate discrimina etiam aliqua in impressionibus ab eadem causa excitatis esse poterunt. At urges iterum. Si idem lignum diversis hominibus ostendero, eamdem omnes acquirent ideam: ergo impressio eadem excitabitur: ergo neque cerebrorum, neque spirituum animalium, neque temperamentorum diversitas discrimen ullum in his impressionibus inducit. Verisimile videtur argumentum tuum; nullius tamen ponderis esse videbis, si passionum animæ originem

in hominibus considerabis. Anima humana, dum ideam contemplatur, quæ conveniens illi sit, quæ placens, quæ grata dulcem quemdam stimulum patitur, qui ad eamdem ideam diu contemplandam, ad objectum, quod illam excitavit quærendum, & se se ipsam unitendum illi impellit: idest amor oritur. Dum vero ideam contemplatur, quæ ingrata, molesta, & displicens illi sit, a contrario statim agitatur stimulo: scilicet odium nascitur. Simili modo reliquæ passiones oriuntur, quæ aliquid de amore, aut odio semper participant. Gratum illud, & placens, aut ingratum, & displicens, quod ideæ conjunctum est, & a quo amor, aut odium excitatur, qua nam ex causa pendent? Ex idearum, inquis, essentia. Optime. Sed contendo, quod pro spirituum animalium, cerebrorum, & temperamentorum diversitate eadem idea aliis grata, aliis ingrata, aliis placens, aliis displicens erit, aliis etiam adiaphora. Historiam tibi narrabo, quæ verissima est, & quæ evidentissime, quod proposui, demonstrat. Mulier quædam post hystericam affectionem diu toleratam, tandem omnibus convulsionibus libera, cœpit laborare morbo, qui potius animi, quam corporis videbatur. Nihil illi gratum erat, ingratum nihil, ideo nullam animi passionem habebat. Ejusdem vir variis voluptatum, & solationum generibus torpentem animum excitare conabatur: sed illa ad omnia indif-

indifferens erat. Unicum habebat parvulum filium, quem ante hunc morbum tenerrime dilexerat, tunc tamen eadem animi tranquillitate illum & præcipitem ex alto, & sanum, lætitiaque exultantem vidisset. Dum a me de hoc morbo consilium petit, ea animi quiete rem mihi narravit, ut ostenderet ne morbum quidem ipsum molestiæ quidquam illi afferre. Cæterum in hac muliere delirium nullum aderat, immo ingenii viribus pollebat valide; ab objectis sensibilibus eas acquirebat ideas, quas cæteri homines ab iisdem objectis adipisci solent. Ergo & impressiones ab iis objectis excitatæ erant eædem. His solummodo ea requisita deerant, a quibus fit, ut ideæ iisdem respondentes aliæ placeant, aliæ displiceant. Si igitur hæc requisita a morbo tolli queunt, multo facilius acerebrorum, spirituum animalium, & temperamentorum diversitate infinitis modis immutari poterunt. Argumenta idem probantia ubique inveniuntur. Ea impressio, quæ sobrium ne movisset quidem hominem, eumdem ebrium in furorem vertit. Aquæ aspectus gratus plerumque est hominibus, idem tamen demorsis a cane rabido horridus, & terribilis. Atro (*a*) succo oppressi morosi sunt, & tristes, etiam dum inter ea versantur, quæ ante hunc morbum voluptate, & gaudio illos afficere solebant. Sed quid opus est pluribus?

C 2 Non-

(*a*) *Quamvis non delirent.*

Nonne eædem impressiones naturam hominum diverso temperamento præditorum ad diversos motus peragendos excitant? Cur non idem in Belluis evenire poterit? Latrones, armata manu in Titium, & Sempronium impetum faciunt. Titius terretur; cor ejusdem, & arteria aorta palpitant, totum corpus pallet, horret, tremore concutitur. Contra vero Sempronius fervet ira, bilis motus statim turbatur, os amarum fit, cor, & arteriæ celerius contrahuntur, circulatio augetur, totum Corpus calet, & rubet. Hi motus fiunt etiam anima invita, immo fiunt quoque in iis organis, quibus nunquam imperavit. Ergo fiunt a principio physico. Ergo eadem impressio pro varietate temperamentorum diversa fit conditio, quæ hominum naturam ad diversos motus excitandos determinat. Ergo idem in Belluis eodem physico principio præditis evenıet. Hæc igitur cum ita se habeant, colligamus in unum, quæ huc usque probavimus. Thesis tua repugnat evidentissime sacris Literis, plura absurda Deo tribuit, Divinis Attributis non convenit. Præterea Anima Belluarum, quam rationalem existimas, eos non habet characteres, qui proprii sunt, & essentiales illius substantiæ, quæ ratione pollet. Denique invenimus in hominibus principium physicum, quod plurimos edit motus rationi convenientissimos, & apud quod plurimum valet consuetudo. Simile autem

prin-

principium, & similibus characteribus prædi-tum sufficiens causa esse potest illarum actio-num, quæ a bestiis fiunt. Hæc igitur, quod proposui, satis probarunt. Plurima alia afferre potuissem argumenta, sed omnia in hac Disser-tatione comprehendere nullo modo potui.

CAPUT PRIMUM.

De principiis Machinam nostram moventibus.

1. IN præmissa Dissertatione satis probavimus reperiri in humano corpore principium quoddam activum a rationali anima diversum, quod machinam nostram variis agitat motibus. Quæri nunc potest, an hoc sit unica causa omnium illorum motuum, qui in nobis fiunt?

2. Quoniam autem in eadem Dissertatione satis evicimus, veram activorum principiorum essentiam nos latere, & eorum differentias de-terminari posse solummodo ex diversitate con-ditionum, & circumstantiarum, quæ requirun-tur, ut hoc, aut illud principium agat, & ex diversitate effectuum, quos gignunt: hinc diffi-culter statui potest, quotuplices sint illæ cau-sæ, quę machinam nostram agitant, & quæ vera, ac essentialia inter illas intercedant discrimina.

3. Motus tamen ab his causis pendentes in tres species juvabit distinguere: Nempe 1.° in eos, qui a mechanica corporis nostri structura

pendent, ideſt a generalibus omnium corporum viribus: ex. gr. dilatatio arteriarum ab impulſu ſanguinis, earundem (*a*) contractio ab elaſticitate. Ut hi recte cognoſcantur, debemus diſcere ex Anatomicis Fabricam noſtri Corporis, & ſcire ex Phyſicis, quænam ſint moventes cauſæ omnibus corporibus communes. 2.° In illos, qui a principio vitali ſunt. Clariſſimus Gorterus in Diſſertatione de Motu Vitali demonſtravit humorum circulationem a ſolis Mechanicis viribus deduci nullo modo poſſe; ſed in vivis animalibus adeſſe potentias alias in mortuis Machinis nullibi obſervatas, quæ novis legibus hanc humorum circulationem excitant. Actio hujus principii augetur a ſtimulis, minuitur ab acidis, nitroſis, tollitur omnino a quibuſdam venenis. 3.° In motus a natura pendentes. Hæc aliorum principiorum actionem ſæpe adjuvat. Ex. gr. Acidum minuit actionem principii vitalis (2.° hujus), & convulſiones excitat: ut vero hoc acidum tollatur, obtundendum eſt majori circulatorio motu, & per alvum expellendum. Ergo natura vim principii vitalis auget, Febrem concitat, & acidum obtundit; facultatem vero inteſtinorum expultricem majorem reddit, & idem acidum e corpore eliminat. Huic principio præter eos, quos in diſſertatione notavimus, tribuendi ſunt præcipue motus critici, & criticæ excretiones.

4. An

(*a*) *Confer* 70.

4. An in aliquibus nostri corporis organis ex. g. Ventriculo, Testiculis, Hepate motus quidam speciales fiunt, qui neque ex Mechanicis causis, neque ex generali illo humorum circuitu (2.° hujus) deduci possunt? Difficillima (*a*) Quæstio. Vide Clar. Gorteri Dissertationem de motu particulari viventium.

CAPUT II.

De Morbis in genere, & Medici officio in eorum curatione.

4. MOrbus est defectus aliquis illarum conditionum, quæ in humano corpore requiruntur, ut actiones homini propriæ peragantur ab eodem recte.

5. Medicus debet tollere defectum hunc, sive debet restituere conditionem illam, quæ in humano corpore adesse debet, ut sanum sit.

6. Hoc autem ipsum (5) natura tentat perficere.

7. Medicus ergo vel arte aliqua de naturæ viribus nihil cogitans, restituet conditionem illam ægroto corpori, vel naturæ conamina adjuvando (6) id ipsum obtinere tentabit.

8. Hanc secundam medendi methodum me sequi profiteor, indigens in medicina facienda illis adminiculis, quæ Deus ipse ad nostri Cor-

(a) *Hi enim omnes naturæ tribui possunt.*

poris tutamen creavit, prima (7) usufus cum hæc nulla erit. Verissimum est tamen quod aliquibus in circumstantiis hæc ab illa non differat. Sed quia ego hanc methodum sequor, de eadem tantummodo hic pauca tradam.

9. Methodus autem hæc intelligi recte non potest, nisi prius describatur modus, quo natura morbos debellat, dum eosdem vi sua absque ullo adjumento vincit.

10. Sed quia natura, non omnes hostes eodem modo aggreditur; idcirco ejusdem operationes in acutis inflammatoriis, in malignis, & in Chronicis aliquibus solummodo considerabimus.

11. Examinemus primo, quomodo natura acutam inflammatoriam Febrim nullis adjuta pharmacis curet.

12. Febris hæc magna est, continua, parum, aut nihil remittens; pulsus sunt celeres, fortes, magni, duri; omnia circulationis nimis auctæ signa adsunt. Hujus Symptomata per 3. 4. 5. 6. 7. dies vix mutantur: eodem tempore sudor, diarrhœa, & aliæ similes excretiones vel nullæ sunt, aut si aliquando adsunt, assiduæ sunt, corpus exhauriunt, debilitant, morbum augent.

13. Post 4. 5. 6. aut plures dies Alvus sæpe leviter turbatur, aut calidus, universalis sudor prodit, aut utrumque fit cum levamine; vel etiam alia similis excretio excitatur; Febris tunc minuitur, omnia morbi Symptomata mitiora fiunt,

14.

14. Illæ autem excretiones (13) non assiduæ sunt, nec corpus exhauriunt, sed post paucas horas cessant, & morbum leviorem reddunt; post (*a*) unum, aut alterum diem denuo excitantur, & aliam materiæ morbosæ portionem expellunt; postea autem iterum cessant; & sic deinceps procedit natura, nunc præparatam morbosam materiam excernendo, nunc eamdem reliquam melius præparando, donec omnem expellat, & corpus omnino expurget.

15. Si post unam, aut alteram excretionem (14) febris (12) valde imminuta fuit, & vires vitæ languere incipiant; morbosa autem materies non omnino expulsa sit; natura sæpe novam excitat Febrem, cujus ope reliquam morbosam materiem præparat, & expellit. Hæc autem Febris post 15. aut 16. horas cessat, deinde post unum, aut alterum diem iterum excitatur, & sic deinceps, donec morbus omnino victus sit.

16. Critici hi naturæ motus (13. 14. 15.) durant pro varia morbi magnitudine, & causa, pro vario ægri temperamento, & pro aliarum circumstantiarum diversitate, vario tempore. Raro unica excretione (13) omnem morbosam materiam natura expellit.

17. Si Febris (12) vehemens non est, si circulatorius humorum motus illum valde non superat, qui in

(*a*) *Intervalla tamen inter unam, & alteram excretionem breviora, aut longiora sunt pro varietate causæ, temperamenti, ætatis, & aliarum circumstantiarum.*

in sanitate fit, si reliqua Febris Symptomata multum violenta non sunt, hæ naturę actiones (13. 14.15.) eadem constantia fiunt, qua reliquę omnes physicarum causarum operationes.

18. Si vero Febris (12.) fit valde vehemens, circulatorius sanguinis motus nimium velox, præcipuæ & ad vitam maxime necessarię partes a morbo opprimantur; tunc corruptis humoribus, consumptis spiritibus, labefactatis organis victa remanet natura, & pereundum est ægro.

19. Si autem vel propter infirmum ægri temperamentum, aut propter defectum spirituum, corrupta illorum materie, aut oppresso organo illos secernente, vel ob aliam quamcumque causam cito nimis langueat vitalis motus; natura autem morbosam materiem expellere nequeat, mors sequitur; aut chronicus nascitur morbus.

20. In malignis omnia adsunt signa deficientis vitalis motus: tunc si naturæ vis causam illam superare potest, quæ vitalem motum opprimit, hanc eodem modo, & præparat, & expellit, quo (in 13. 14. 15.)

21. Critici tamen illi naturæ motus (13.14. 15.) in malignis longius durant, quam in inflammatoriis.

22. Si vero eamdem (20.) superare nequit, deficiente circulatione, aut æger moritur, aut longus nascitur morbus.

23. In Chronicis, quia a diversissimis pendent cau-

causis, & quia raro ægri tandiu morbum tolerare volunt, quamdiu necesse esset, ut natura eumdem proprio marte vinceret, difficulter observari potest modus ille, quo eosdem expugnat.

24. Hoc tamen notare possum, quod verissimum esse scio, in pluribus Chronicis, & præcipue in illis, qui a cacochymia, cruditatibus, crassitie humorum pendent, Febres illas (15) excitari sæpe, quæ semper aut omnino intermittunt, aut multum remittunt, & criticas excretiones fieri eodem modo (13. 14.); nisi quod cum febres (15) non excitantur intervalla inter unam, aut alteram excretionem longiora sint.

25. In acutis inflammatoriis, in Chronicis aliquibus Hemorrhææ ex naribus, Hæmorrhoidibus, utero fiunt aliquando cum juvamine etiam in principio morbi. In malignis id rarum.

26. Præmissis his Observationibus tria ex his deduco præcipua Medici officia, nempe coctionem adjuvare, cocta expellere, cruda retinere, nisi turgeant.

CAPUT III.

Quomodo Coctio adjuvetur.

27. COctionis nomen duobus modis accipitur; vel est præparatio illius humoris,

ris, qui ex alimentis educitur, in bonum Chylum, & ejusdem in bonum sanguinem, de qua agetur capitulo de cruditatibus: vel est præparatio humoris morbosi in talem materiem, qualis requiritur, ut a natura per apta excretoria expelli queat.

28. Quoniam autem in acutis inflammatoriis hæc morbosi humoris mutatio fit ut plurimum, si adsunt conditiones (17.); hinc Medicus omni arte conari debet, ut revera hæ adsint.

29. Hoc (28.) autem ut obtineat medicus, debet primò noscere veram morbi causam. Id juvabit illum plures ob rationes, quas enumerare supervacaneum puto, quia sponte patent. Exemplum unum afferam, Æger laborat acuta Febre orta ex nimio aeris calore. Ut Medicus morbosam materiem ex hac causa genitam coquat, vitalem motum nimis gliscentem ad gradum (17.) debet reducere, sed aeris calor etiam tunc durans, humores acres reddendo, eumdem vitalem motum nimis auget. Si Medicus id ignorat neque in frigidiusculo cubili ægrum ponet, neque stragulorum minuet pondus, neque frigida aqua cubile asperget, nec denique illis utetur adminiculis, quibus minus calidum facere potest aerem.

2.° Debet noscere indolem illius humoris, qui morbum gignit, & scire Instrumenta, quibus illum mitiorem potest reddere. Huc spectat diluentium, demulcentium, condientium, & alio-

& aliorum similium remediorum usus. Ex. g. Humor acutam pariens Febrem, putridus est: Acida humores sanos a putredine præservant, alkalinos volatiles sales invertunt, & minus acres faciunt. Ab horum igitur usu morbosa materies mitior redditur, solida minus irritantur, & facilius obtinetur, quod (in 17.)

3.° Noscendi sunt pravi effectus illi, quos morbosus ille humor (2.° hujus) in nostro corpore potest parere, & iidem omni arte impediendi. Ex. g. si partes ad vitam maxime necessariæ a morbosa materia lædantur V. G. Cor, Pulmo, Cerebrum, difficillime coctio (17. & 27.) peragetur: Ergo Medicus quocumque modo eo deducere morbosam materiam debet, ubi minus noxia est. Attrhaentia, derivantia, repercutientia, diluentia, revellentia, & pluria alia huc spectant remedia.

4.° Scire debet, quibus remediis, eadem manente morbosa materie vitalem motum nimis gliscentem minuere, aut nimis tardum augere queat, ut ad gradum requisitum (17) reducat. Huc sedantia, & moventia spectant remedia. Difficillimum est tamen determinare illum motus gradum, qui in qualibet circumstantia requiritur, ut coctio peragatur. Ut plurimum debet esse, ut (in 17) Attendendum tamen ad has non inutiles regulas.

In Robustis, juvenibus, sedantium usus minus periculosus est. In his enim languidæ vires

res excitari possunt rursus sine magna difficultate. In Senibus, debilibus contra.

Si inflammatoria Febris (12) ab acri, & crasso (*a*) humore pendeat, qui in Vasis lymphaticis aut stagnet, aut segniter moveatur; liquidorum motus in sanguineis vasis aliquanto celerior esse debet, sic enim facilius & lymphatica depurantur. Si vero humor tenuis sit, si liquorum per tenuiora vasa motus satis velox contra.

Si morbosa materies aliquid de (*b*) acido participat, sedantia cum prudentia adhibenda. Si vero ad alkalicum tantummodo vergit morbosus succus Cardiaca, & stimulantia magis timenda.

Facilius est tamen cæteris paribus vitalem motum nimis gliscentem sedare, quam eumdem nimis languidum excitare.

5.° Exhibere debet ægro ea remedia, quibus coctio perfici potest citius, si hæc nota sunt. Ex. G. (*c*) Crassus, & acris humor inflammationem facit · coquendus hic est moderato motu (4.° hujus). sed si incidentia ægro exhibebimus, natura citius hanc coctionem perficiet.

6.° Omnes remediorum, quæ adhibentur, vires cognoscendæ sunt medico, & attendendum diligenter, ne quod una omissa (1.° 2.° 3.° 4.° 5.° hujus), juvat, noceat alia. Ex. G. Putridus hu-

(a) *Confer* 473. (b) *Vid.* 774. 775. (c) *Vid.* 473. 475.

humor, Fibras irritando, Febrem facit. Mdicus sciens, hunc humorem ab acidis mitiorem reddi (2.° hujus) Ægro hæc exhibet. Id egregie facit: sed si ignorat acida hæc vitalem motum imminuere (2.° 3.) tamdiu horum usum continuare potest, donec languente nimis eodem motu (19), nec coctio (27), nec Crisica excretio (13) perfici queant. Acida enim hæc putridos humores minus lædentes reddunt; non ita tamen immutant, ut sanis nostri corporis liquidis similes evadant; alioquin putridi morbi acidis curati absque ulla excretione evanescerent, quod numquam observatur.

30. In malignis eadem necessaria sunt (1.° 2.° 3.° 4.° 5.° *6.°* 29.), nisi quod sedantibus (4.° 29.) raro, aut nunquam indigeat Medicus; cum vitalis motus opprimatur, sed moventibus ubi debeat. Raro autem ex horum usu adeo potest excitari vitalis motus, ut nimius sit (18.)

31. In Chronicis quoque regulæ (1.° 2.° 3.° 4.° 5.° 6.° 29.) observandæ, nisi quod & in his, cum vis vitæ langueat, sedantia (4.° 29.) ut plurimum damnosa sint. In horum tamen aliquibus magna cum cautela moventia adhiberi debent. (Vide 159)

32. In malignis, & Chronicis raro vitalis motus reduci potest usu remediorum moventium ad gradum (17): hinc longius requiritur tempus, ut coctio perficiatur, & crisis.

33. Si

33. Si tamen id (32) aliquando fieri posset, ut plurimum haud tutum existimarem.

34. Quęnam signa indicabunt (18)? Signa Circulationis nimis auctę, si magna valde sint, & oppressio partium nobilium cerebri, cerebelli, pulmonis, cordis.

35. Quęnam signa notabunt (19)? Signa imminutę nimis circulationis, recessus materię morbosę ad interiora, morbi Symptomata pręcipua in centro corporis.

36. Quomodo noscetur status (22)? Ex signis malignitatis valde magnis, & oppressione partium nobilium.

37 Quas ob causas emulsiones ex frigidis seminibus adeo laudantur in acutis inflammatoris? Hęc vim acrium minuunt, humidum a nimio motu dissipatum restituunt, solida laxant, & inungunt; sic minus ab acribus irritantur. Oleosa vero hęc, aut farinosa, aut mucilaginosa, aut alia similia demulcentia involvere humores acres, & eosdem sanis similes reddere, nullo modo credi potest. Idcirco in acutis tamdiu horum usus concedendus, quamdiu circulatio reducatur ad velocitarem (17.4.° 29.)

38. An nitrum lentorem inflammatorium resolvit, & sanis humoribus assimilat? Nitrum juvat in inflammationibus pręcipue vitalem motum minuendo (2.° 3.) Verum si hic langueat, adhibendum non est. Nulla autem acuta Febris evanescit, nisi materia morbosa critice ex-

cer-

cernatur. Sed de his vide Gorter. in Medic. Hippocrat. aphor. 54. & passim in omnibus suis operibus.

39. An venæ sectio tamdiu repetenda in inflammationibus, donec crusta inflammatoria absens finem (*a*) definiat? Puerperæ cuidam acuta Febre laboranti septies vena secta fuit. In emisso sanguine crusta hæc constantissime apparuit, immo in sanguine postremis emisso crusta hæc crassior, & densior fuit, quam in illo, qui primo eductus est. Mulier hæc Hydropica periit. Eamdem crustam adeo crassam, tenacem, ut numquam observaverim similem, in sene quodam vidi cachectico, cui pedes ædemate tumebant, pulsus parvus, debilis erat absque ullo Febris indicio. Denique crustam hanc in malignis, in Chronicis pluribus observare mihi contigit. An igitur venæ sectio repetetur, aut omittetur pro hujus crustæ præsentia, aut absentia? Opinor regulas, quæ sequuntur, observandas esse præcipue pro sanguinis missione in acutis.

40. Sanguis educitur in acutis, vel ut plethora minuatur. Tunc autem ea quantitas educi debet, quæ ad supervacaneum auferendum sufficit. Vel ut vitalis motus nimis glišcens frenetur. Tunc vero venæ sectio toties repetenda, quoties requiritur, ut idem motus reducatur ad velocitatem (17. 29. 4.°): vel ut humores

D

(a) *Vide Celsum rep. x.*

mores crassiores in subtiliora vasa pulsi in majora repellantur: id autem tunc facilius obtinetur, cum sanguinis copia aliquantum imminuitur, & ejusdem motus aliquanto tardior est (17), ideoque tunc parum copiosior, & frequentior esse potest venę sectio, sed cavendum tamen semper est, ne imminuta nimis vitali vi coctio morbosi humoris perfici queat (19).

41. An Cardiacis stimulantibus vis naturę augetur, & coctio melius perficitur? Si motus sanguinis tardior sit, hęc usum habere possunt. Verum si hic nimius, morbum augent, coctionem, quę fit motu moderato (17. 29.4.°) impediunt, & statum (18) inducunt.

42. An eadem stimulantia adhiberi possunt cum juvamine, quotiescumque languet vitalis motus? Minime: sed inspicienda precipue est causa, propter quam deficit, & hęc tollenda.

43. An si vitalis motus a malignis, & venenatis humoribus minuatur, eadem Cardiaca, & alexipharmaca utilia semper erunt? Minime, sed pro horum humorum diversitate varia quoque esse debent hęc remedia. Confer (467. 495. 729.)

44. Si coctione impedita (27), natura oppressa immineat vicina mors, quomodo id noscetur? Si post (18. 19. 22.) pulsus valde parvi, celeres, inęquales, intermittentes fiant; si respiratio parva, frequens, difficilis, dolorifica; si delirium, aut soporosi affectus adsint; si fa-

cies

cies Hippocratica; si oculi squalidi, fusci, convulsi, sordidi, & partem adnatę tunicę subjectam corneę demonstrent; si tendinum subsultus, aut alię similes convulsiones; si cutis color pallidus, fuscus, plumbeus; si carnes frigere incipiant; si sudor frigidiusculus e vasis cutaneis emanet, jam mors pulsat ostia.

45. An exacte punctum illud temporis determinari potest, quo moriturus est ęger? Hoc humanum non est. Qui id facit, veras regulas ignorat, ex quibus prognosis desumitur; ideoque non doctus Medicus; sed Sycophanta plerumque est.

C A P U T IV.

Quomodo cocta expelli debeant.

46. SEcundum Medici officium esse diximus (26) cocta expellere. Hoc autem ut recte fiat, sciendum est, 1. quęnam cocta dicantur, 2. quando expellenda, 3. quomodo expellenda, 4. per quę excretoria expellenda.

47. Cocti nomine hic intelligo humorem morbosum, sed aptum criticę excretioni (13): hunc autem e corpore eliminandum esse per se patet.

48. Talem autem humorem statim expelli debere etiam liquet: quo enim citius, a causa morbi liberatur ęger, eo melius. Idcirco, si

materia morbosa præparatione non indigeret; idest etiam in morbi principio cocta esset, & apta ad excretionem, in morbi quoque initio expelli deberet: sed quia in acutis (12. 20.) id raro, aut nunquam observatur, idcirco illud tempus expectari debet, quo cocta est. Huc præcipue dierum criticorum cognitio spectat. Notandum tamen est, quod morbi differant inter se non solum essentia, sed etiam gradu. Natura vero magnam, & parvam materiæ morbosæ quantitatem non eodem tempore præparat, immo tempus hoc varium etiam erit pro varia ægri idiosyncrisia, aeris temperie, & infinitis aliis conditionibus. Cum vero vix duo inveniantur ægri, qui in his omnibus conveniant; hinc vix fieri potest, ut determinentur exacte dies illi, quibus cocta erit morbosa materies. Ut plurimum tamen circa quartum aliqua coctionis indicia; circa septimum aliqua crisis signa apparent.

49. Si vitalis motus vel per se, vel arte deductus fuit ad gradum (17. 4.° 29.) si in eodem per 4. aut plures dies duravit; si morbi Symptomata aliquantum imminuta sint; si excrementorum qualitates a naturali statu minus recedunt; si critici illi naturæ motus (13. 14. 15.) jam incœperunt cum juvamine, tempus determinatur, quo cocta, & ad excretionem apta est morbosa materies.

50. Ut vero sciat Medicus, quomodo expellere

lere debeat coctam materiem; debet primo cognoscere, an natura suis viribus ad omnem coctam materiem expellendam sufficiat. Si enim sufficit, nihil mutandum: idcirco si conditiones (49) jam adsint; si vires vitæ valent; si febres (15) excitantur; si criticæ illæ excretiones (13. 14) perseverant; si ab his minuitur semper morbus, totum negotium naturæ relinquat, apto solummodo cibo vires ægri sustineat.

51. Si vero conditiones (49) absint; si excretiones (13. 14) parvæ, nec morbi magnitudini convenientes; tunc videndum est, an materies vere cocta sit. Plerique enim ægri, qui morbo acuto decumbunt, non idcirco pereunt, quia cocta non expelluntur, sed quia cruda non coquuntur. Si materies morbosa excretioni satis apta non est, ulterius coquenda (29. 30. 31) Si vero excretioni satis apta est (49); tunc vel naturæ vires deficiunt, vel defectus aliquis erit in organo, per quod morbosa materia expelli debet.

52. Si naturæ vires deficiunt, ideft si Febres (15) non excitantur, si excretiones parvæ (13. 14), si adsunt signa motus vitalis nimis imminuti, tunc augendæ remediis (106).

53. Si vero defectus aliquis sit in organo excretorio Ex. g. Si cutis nimis stricta a frigore, vel laxa ab aeris humiditate; si viæ, per quas transire debet cocta materies nimis (*a*) siccæ
 sint;

(*a*) *Vid. par.* 788.

sint; aut si aliud quodcumque impedimentum adsit, hoc investigandum est, & omni arte tollendum.

54. Hoc autem (53) ut fiat, necesse est nosceri illud organum, per quod morbosa materies cocta expelli solet a natura. Hoc vero ex solis observationibus discere debemus Ex. g. docemur ab his, materiem insensibilis perspirationis tantummodo per cutis vascula cum juvamine a natura expelli, pus per urinæ vias, cruda, crassa per alvum. Discat igitur Medicinæ tyro, aliorum observationes legendo, per quæ organa quælibet morbosa materies cum juvamine a natura deturbetur. Sic recte officio (53) fungi poterit.

CAPUT V.

Quomodo Cruda retinenda.

55. HUmor sanus, & homini necessarius, ut functiones illas peragat, quæ illi sunt propriæ, si vi morbi e corpore eliminetur, crudus dicitur.

56. Crudus etiam vocatur humor morbosus criticæ excretioni nondum præparatus, si ab eadem causa (55) expellatur.

57. Primam (55) crudorum speciem retinendam esse per se liquet: cum humores hi (55) ad vires vitæ conservandas, & coctionem (27) perficiendam necessarii sint.

58. Secunda autem illa crudorum (56) species retinenda quoque est; quia in Symptomaticis illis excretionibus (12. 56.) non soli morbosi humores, sed etiam boni, & utiles expelluntur; Et quia organa excernentia nimis læduntur.

59. Retinentur vero, vel morbum, qui harum excretionum causa est, minuendo (a) (1.° 2.° 3.° 4.° 29.) vel facultatem retentricem illarum partium, per quas cruda hæc expelluntur, augendo. Huc adstringentia, repercutientia, opiata, & sistentia quæcumque spectant remedia.

60. Dixi supra cruda hæc (55. 56.) retinenda esse nisi turgeant; si vero turgent, permitti possunt illorum excretiones: idest, si copia bonorum succorum tanta est, ut vasa nimis repleat, ut in plethora; vel etiam, si eadem vasa tanta quantitate malorum succorum turgeant, ut Æquilibrium tollatur, coctio (27) impediatur; tunc excretiones (55. 56.) permitti debent; immo etiam arte faciendæ, si non excitentur. Confer (25.)

61. Hæmorrhaæ autem in acutis permitti etiam possunt, si inde effectus (40) expectantur.

62. Quodnam ex his tribus (26) præcipuum, & magis necessarium est medici officium? Coctionem adjuvare.

(a) *Si tamen ut morbus minuatur, moventia adhibenda sint, id magna cum prudentia fieri debet. Nam vide 470.*

63. Quodnam (ex 1.° 2.° 3.° 4.° 5.° 29.) magis necessarium est, ut coctio adjuvetur? (4.°). Sic enim Medicus vitalem motum dirigere poterit, ut nec torpeat nimis, nec nimis glifcat.

64. Quodnam ex (1.° 2.° 3.° 4.° 5.° 6.° 29.) ante oculos semper habendum, ut error evitetur? (6.°)

65. Quid perturbatio critica, & Symptomata critica? Febris (15), & ejusdem effectus.

66. Quomodo noscentur (13. 14. 15.)? Ex signis coctionis prægressæ (49.)

67. An unquam turbanda (13. 14. 15.)? Qui id faceret non Medicus, sed Carnifex esset.

68. Conferantur hæc cum Hippocratis Aphorismis, & præcipue cum Medicina Hippocratica Clar. Gorteri.

CAPUT VI.

De Primariis Causis, quæ circulationem humorum augent.

69. CElerior fit humorum circulatio, vel auctis potentiarum sanguinem moventium viribus, vel imminutis obstaculorum huic motui resistentium.

70. Augent autem potentiarum moventium vim 1.° quidquid efficit, ut cor aut frequentius, aut vehementius contrahatur. Ira, lætitia, acria mecanica, alkalina, scorbutica, putrefacta, & his

his similia id agunt; natura quoque variis in morbis, & circumstantiis. 2.° quidquid arterias magis elasticas reddit; ut præcipue vita valde actuosa, chalybs. 3.° quæ musculosam arteriarum contractionem majorem faciunt; ut eadem [1.° 70.] 4.° quidquid humorum motum per venosa, & lymphatica vasa promovet; ut frictio, & motus musculorum.

71. Minuunt obstacula. 1.° quidquid molem movendorum minorem facit; ut quælibet evacuatio humorum. 2.° quæ arterias magis flexiles, & suæ dilatationi minus resistentes reddunt; ut laxantia. 3.° quidquid particulas humorum circulantium magis idoneas motui facit. Omne autem corpus eo magis est aptum motui, quo magis solidæ substantiæ sub minori superficie comprehendit; idest quo densius, & sphæræ similius. Causæ, quæ id agunt, ex cognita corporis fabrica, & ex mecanicis facile deducuntur; neque enim hic breviter explicari possunt. 4.° quidquid frictionem minuit. Corporum enim superficies perfecte planæ non sunt, sed eminentibus hic monticulis, illic depressis vallibus asperæ. Ergo, dum corpus unum supra alterum movetur, resistentiam pati debebit, dum superficiei suæ eminentes partes intrant cavitates alterius, & vicissim. Hæc autem resistentia frictio dicitur, vel attritus. Huic autem obnoxium debere esse sanguinem, dum circa arteriarum latera movetur, per se liquet.

72. Si

72. Si circulatio nimis augeatur, & morbosa fiat, gignit effectus, qui sequuntur.

73. Pulsus fit magnus, frequens, durus, fortis, velox.

74. Attritus augetur; & inde calor.

75. Humores aquosi dissipantur.

76. Sanguis compingitur, densatur.

77. Humores crassiores in tenuiora vasa pelluntur; unde rubor, & morbi ex errore loci.

78. Sales alkalini, & olea acria, rancida, putrida evadunt.

79. Respiratio magna, & frequens fit.

80. Febris ardens inflammatoria oritur.

CAPUT VII.

De primariis causis, quæ eamdem circulationem tardiorem reddunt.

81. HUmorum circulatio fit tardior ab omnibus causis, quæ potentias moventes imminuunt, vel augent obstacula.

82. Minuunt potentias moventes, 1.° quidquid cordis contractiones, aut rariores, aut debiliores reddit. Quædam animi passiones, ut mæstitia id efficiunt; præterea spirituum nimia consumptio a coitu nimio, attentis meditationibus per longum tempus protractis, nimius corporis laboribus; vel defectus eorumdem, impedita illorum secretione in cerebro, & cerebello,

lo, aut deficiente materie, ex quibus præparantur; ut a majoribus Hæmorrhagiis, lactatu nimio gonorrhæa, aliisque similibus evacuationibus. 2.° Quæ arteriarum elasticitatem minuunt; ut distractio nimia, mala nutritio, vita otiosa, & laxantia quæcumque. 3.° Quæ musculosam arteriarum contractionem debilitant, qualia [1.° hujus]. 4.° Quæ distractionem illam arteriarum, quæ in sanis hominibus semper reperitur, minorem reddunt. Arteriæ enim sunt semper in statu violento, idest adeo distenduntur a sanguine, ut illarum lumen etiam in sistole majus sit, quam foret, si vacuæ essent. Hæc autem distentio facit, ut majori vi contrahantur, cessante impetu illas dilatantæ. Omnia evacuantia id agunt. 5.° Quæ vitalis principii actionem minorem reddunt [2.° 3.] ut acida, nitrosa, maligna, venena plurima.

83. Augent obstacula. 1.° quidquid arterias magis rigidas, reddit; ut senectus, vita nimis actuosa, defectus inungentis mucilaginis, aut olei. 2.° quidquid molem movendorum majorem facit; ut plethora, leucophlegmatia, anasarca, cacochymia, & omnes plenitudines. 3.° quæ particulas humorum motui magis ineptas reddunt: qualia sunt, quæ superficies particularum augent, aut easdem magis porosas faciunt. 4.° quæ frictionem augent. 5.° tardior humorum circulatio in vasis venosis, & lymphaticis defectu motus musculorum in vita nimis otiosa.

84. Si

84. Si circulatio nimis tarda sit, & morbosa, nascuntur effectus hi.

85. Pulsus debilis fit, & parvus.

86. Attritus minuitur, & calor.

87. Sanguis naturales, & illi proprias densitatem, lævitatem, figuram non acquirit; unde viscositas, cruditas, acrimonia.

88. Ad secretoria, & excretoria organa minus ducitur; ideo secretiones, & excretiones recte non procedunt.

89. Humores omnes corrumpuntur, putrescunt.

90. Materies morbosa recurrit ad interiora, & ejusdem symptomata in centro corporis oriuntur.

91. Stagnatio humorum in extremis partibus; inde gangræna. Sphacelus.

92. Quænam causa in acutis frequentius circulationem nimis auget? Acria irritantia.

93. Quomodo hæc mitiora redduntur. [2.° 29.]? Mulcendo eadem, aut diluendo.

94. Quomodo sedatur vitalis motus in acutis, eadem manente irritante causa [4.° 29.]? Lavando solida [2.° 82.]; distractionem illorum minuendo venæ sectione, & purgantibus antiphlogisticis [4.° 82.]; vitalis principii actionem minorem reddendo nitrosis acidis [5.° 82.]

95. Quomodo in iisdem vitalis motus nimis languens excitatur [4.° 29.]? Spirituum præcipue dissipationem impediendo imperata quiete, & so-

& somno conciliato; exhibendo materiem ægro reparandis spiritibus aptam victu idoneo; aliquando etiam stimulantibus, quæ tamen varia pro diversitate causæ morbum facientis.

96. An vinum exhibet materiem spirituum generationi aptam? Spiritus ardens, qui in vino continetur, differt quam maxime ab indole spirituum nostrorum; ideoque illorum reparationi prorsus est ineptus. Potest aliquando juvare solida stimulando [95.]

97. An ergo recte faciunt debilioris temperamenti homines, qui magnam vini quantitatem quotidie ingurgitant, ut languidior in iisdem vitalis vis excitetur? Vasorum oscillationes a stimulantibus augentur, sed iisdem ablatis languidiores remanent, quam ante stimulantium usum erant. Ab illo enim majori motu spiritus consumuntur [1.° 82.]. Id patet evidentissime in omnibus acutis inflammatoriis. Expulso enim natura, vel arte illo stimulo, qui inflammationem faciebat, tardior remanet circulatio, quam ante morbum erat, & æger debilior. Eodem modo infirmiores redduntur homines vini abusu. Cessante enim Spiritus ardentis stimulo, solida remanent valde languida: Hinc frequentissime in magnis vini potoribus cruditates, putredines, hydropes, phthises, paralyses oriantur, aut alii similes morbi.

98. An vitalis principii actio minuitur a frigore? analogia in plantis, & insectis, pernio-
nes

nes frequentissimi, & gangrenæ a nimio frigore id videntur indicare.

99. An ideo ventres hyemali tempore calidissimi? plerique homines hyberno tempore magis esuriunt, cibos melius concoquunt. Si vitalis principii actio a frigore minueretur, tunc in exterioribus partibus spiritus minus consumerentur (hi enim sunt instrumentum necessarium, & vitali principio [2.° 3.], & naturæ [3.° 3.], & cuicumque agenti principio [4.° 3.] ad musculares fibras contrahendas) fluerent igitur majori quantitate in partes internas. Hinc ventres magis calidi essent, idest magis agerent.

100. Quænam sunt illa venena, quæ vitalis principii vim imminuunt, aut tollunt [2.° 3.]? En meæ observationes.

101. Rusticus quidam ab aranea demorsus fuit in cubito. Intumuit pars cum dolore non adeo magno. Inuncta fuit pinguedine. Tunc autem magis intumuit, & majori dolore excruciata, vesiculis quoque flavo ichore plenis cooperta. Vocatus tunc fui, ut rusticum hunc inviserem. Inveni pulsum parvum, debilem celerem: secundo die pulsus fuit debilior, minor, celerior, intermittens: tertio exilissimus, intermittens, ut vix sentiri posset. Eodem autem die periit æger cum jactatione, & anxietate summa. Ille vero mentis viribus usque ad finem vitæ optime valuit; recte etiam respiravit; dicam verbo, nullam aliam hujus mortis causam invenire potui,

nisi

nisi quod venenum hoc vitalis principii actionem extinxit. Æger cardiaca, antidota, stimulantia ore assumpsit; pars affecta profunde incisa, cucurbitulæ applicatæ, fomentis calidis alexipharmacis stimulata. Sed omnia frustra.

102. Adolescens quidam robustissimi temperamenti sedens in cubili angusto, & clauso undique, ubi magna carbonum quantitas accensa erat, somnum cœpit. Post aliquod tempus fere apoplecticus decidit. Patruus ejusdem cubile intrans sensu, & motu omnino destitutum eumdem invenit; causam agnovit; e cubili eduxit; frigida aqua aspersit; dein me vocavit: sed cum advenî, revixerat, sensum, & motum recuperaverat, caput solummodo opprimi dicebat. Pulsus tunc parvus, debilis, celer erat. Sponte tamen omnino restitutus est.

103. Rusticus alius, ut musti sedimentum, & fœces in ipso fermentationis actu educeret, intravit cadum positum in angusto loco, in quo plura similia vasa fermentatibus repleta liquidis aderant. Cum fœces illas miscere cœpit, pronus cecidit. Mulier, quæ ibi aderat, ut illi rustico auxilium ferret, in eumdem cadum intravit, sed eodem modo supra ipsum cecidit. Alia tunc mulier, ut primos illos sublevaret, ingressa similiter supra eosdem procubuit. Denique tertia mulier intrans in idem vas, simili modo sensu, & motu orba remansit. Tunc rusticus alius ibi præsens supra cadum os posuit, & ab

eodem

eodem exhalationem sensit exire, quæ fere illum suffocavit: idcirco nares, & os linteo obturans mulieres illas duas, quæ ultimæ cadum ingressæ erant; & super primos jacebant, eduxit. Ille autem frigida ablutæ aqua, & in calido lecto positæ revixerunt; deinde mulierem aliam, & rusticum illum extraxit, qui tamen nulla arte in vitam revocari potuerunt. Erant enim omnino extincti. Cum postero die, quo hæc evenerant, ad aperienda cadavera jussu magistratus me contulissem; etiam mulieres illas duas, quæ statim eductæ vitam recuperaverant, visitavi; & in utraque pulsum valde exilem, debilem, celerem inveni. Haud tamen credendum est, hanc esse unicam gás sylvestris noxiam vim. Cadavera enim illa, quæ ambo dura, contracta valde erant, & viride, fluidum stercus emiserant, acerrimum hoc venenum esse indicabant. Vasa autem utriusque cerebri dissoluto turgentia sanguine, & cutis in ambobus rubellis deturpata maculis, quæ incisæ tenuem, & valde fluidum fundebant sanguinem, dissolventis facultatis haud levia erant signa. Denique valde elasticum, & volatile hoc venenum quoque ostendebatur. Abdomen enim in utroque cadavere tumidum, & flatulentum erat, & quod magis mirum videri potest, particulæ tenuiores fæcum musti in ipsis pulmonum bronchiis repertæ: quidquid autem fluidi ibi inventum fuit, valde spumosum erat.

104. An

104. An & Narcotica simili vi (100.) pollent? Id videtur innuere Hoffmannus. Certe in nullo alio morbo adeo nocere opiata observavi, quam in maligno illo, qui annis 1753. 1754. 1755. 1756. grassatus est, in quo vitæ vis infirmissima erat. Cæterum cum mulier quædam decoctum hyoscyami ex errore mulieris alıæ, quæ decoctum paraverat, magna quantitate assumpsisset, valida febris cum pulsu magno, & celeri, doloribus stomaci atrocissimis, delirio valde curioso inde nata est. Errore tamen statim detecto emeticum propinavi; diluentia, & demulcentia exhibui: sic expulso veneno, & abluto ventriculo in integrum restituta fuit mulier.

105. An & arsenicum aliquid de hac vi participat (*a*)? Vir quidam arsenicum deglutiverat: atrocissimis statim ventriculi doloribus oppressus fuit, qui pedetentim totum ventrem occupaverunt. Miser hic morbi causam ignorans, oleosa spirituosa, aromatica remedia assumpserat, sed cum nihil ab iisdem juvaminis sentiret, post tres dies me vocavit. Inveni hunc cum facie squalida, livida fere: illius autem cutis frigebat; pulsus sentiri nullo modo poterant; mens tamen libera: evomebat omni momento materiem viridem porraceam: dirissimis ventris doloribus excruciabatur. Du-

E ra-

(*a*) *Nam vis rodens in hoc veneno manifesta est.*

ravit tamen in hoc statu per 40. horas, post quas expiravit. Aperto cadavere inveni maculas rubellas in ventriculo, & per totum intestinorum tractum sparsas; vermem magnum de genere lumbricorum in principio jejuni, bilem porraceam fere nigram.

106. Quomodo vitalis motus excitabitur? Ablatis causis [82. 83.] correctis effectibus [87.]

107. Quæ remedia contra causam [1.° 82.]? Quidquid spiritus nimis dissipare, aut consumere potest, ægro prohibendum. Id ni fiat, nunquam salus redibit. Cibus eupeptus, dilutus, in bonum chylum facile mutabilis, parva quantitate sæpe repetita exhibendus; Cruda [59.] retinenda, moderatus motus muscularis imperandus, & somnus satis longus.

108. Quæ valent in [2.° 82.]? Causæ distrahentes tollendæ; æger nutriendus aptiori cibo; vita otiosa relinquenda; roborantia chalybeata adhibenda.

109. Quæ in [3.° 82.]? Eadem fere, quæ in [107.]

110. Quid agendum in [4.° 82.]? Cruda (59.) retinenda, vasa nimis depleta replenda.

111. Quid in [5.° 82.]? Acrimonia, acida, aut nitrosa corrigenda suis specificis. Maligni morbi vincendi alexipharmacis. De venenis vero hic nihil afferre audeo.

112. Quid in [1.° 83.]? Victus humectans adhi-

adhibendus, lobores nimis omittendi; inungentia pinguia liquida reftituenda.

113. Quid in [2.° 83.]? Venæ fectio, diaretica, purgantia, deplentia varia pro diverfitate plenitudinis.

114. Quid in [3.°, & 4.° 83.]? Humores denfare, illorum particulas fphæricas, læves, lubricas reddere, Arteriarum latera aliquando inungere debemus. Confer [71. 3.°].

115. Quid in [5.° 83.] Motus mufculares, & frictiones juvant.

116. Quomodo effectus [72.] tollendi? Ablatis caufis [70. 71. 92.], & remediis [93. 94.]

117. Quid in horum ufu [116.] magis attendendum? Vide regulam [*6.° 29.*]

118. Nonne idem remedium pro varietate ægrorum movens in uno, fedans in alio effe poteft? Utique: exemplo fit venæ fectio, quæ in plethoricis movens eft remedium, quia molem movendorum minuit, & nimiam diftractionem tollit [2.° 82.], in aliis vero fedans propter caufam [4.° 82.]

119. Cur tam fæpe in plethoricis poft venæ fectionem figna motus aucti? Liquet ex [118.]

120. Quid faciendum fi adeft, quod in [*97.*]? Vini abufus fenfim omittendus; fic vires fenfim recuperantur. Si autem morbi [*97.* 121.] jam nati fint, fuis propriis remediis tollendi, vino penitus relicto.

121. Quoniam ex eadem causa [82.] cruditas, putredo, viscositas nascuntur; quinam ex his effectibus facilius oritur? Cruditas.

122. An eadem causa diversos gignit effectus [121.]? Differunt hi pro varietate causæ motum vitalem minuentis, pro vario ægrorum temperamento, pro vario sex rerum non naturalium usu, & pro diversitate circumstantiarum.

CAPUT VIII.

De putredine.

123. Motus intestinus particularum mixtum aliquod corpus componentium, a quo eædem particulæ separantur inter se, mixtum resolvitur; aquosa mixti pars dissipatur; olea ejusdem attenuantur alia, alia terrestri portioni miscentur, & crassiora evadunt; sales vero, cujuscumque naturæ sint, in volatiles alkalinos mutantur, putredo dicitur.

124. Animalium Cadavera, si libero exponantur aeri, serius, ocyus putrescunt omnia; immo quælibet eorum pars sive solida, sive fluida post aliquod tempus eamdem mutationem subit. Fluida tamen citius, solida tardius.

125. Quoniam vero vivum, & sanum animal nunquam putrescit, necesse est aliquam in viventibes adesse vim, quæ intestinum hunc motum impediat.

126.

126. Hæc vero vis [125.] debet esse conditio aliqua, quæ in omni vivente sano reperiatur, absit ab omni mortuo.

127. Hæc autem conditio est perennis humorum circulatio, ut attendenti satis patet.

128. Ergo hæc erit illa causa, quæ animalium corpus a putredine servabit.

129. Id autem ipsum probat analogia, & experientia.

130. Probat id analogia, quia aquæ omnes manent incorruptæ, quamdiu moventur; putrescunt post quietem.

131. Probat experientia. Quælibet enim animalis etiam viventis pars in putridum tabum fatiscit, si per illam circulatio impediatur; quilibet humor, si alicubi in vivo animali stagnat, putrescit: ita aqua Hydropicorum, pus in abscessu, sanguis intra aliquam cavitatem effusus, urina in vesica per multum tempus retenta, & reliqui omnes humores, nisi circulent, ut ex repetitis observationibus constat, putrescunt.

132. Putredinis causæ in quinque classes dividi possunt.

1.° In illas, quæ spontaneam humorum ad putredinem inclinationem augent. Tales sunt calor nimius, vel nimium humidum, vicinitas corporis putridi, salia alkalina, aer libere affluens.

2.° In illas, quæ antisepticam circulationis

potentiam minorem reddunt; ideft, quæ motum (127.) nimis augent, vel imminuunt.

3.° Quæ humores alicubi ftagnare faciunt. Huc fpectant ea, quæ vafa rumpunt, aut obftruunt.

4.° Quæ excrementorum evacuationem impediunt. Omnes enim humores noftri, continuatis corporis actionibus, tandem iifdem obeundis, denuo inutiles fiunt, & per cutis, aut urinæ vias expelluntur. Horum excretio fi imt pediatur, putredo oritur.

5.° Quæ aut chyli generationem, aut ejufdem in vafa fanguinea ingreffum impediunt: ut a rigidiffima inedia, lienteria, paffione iliyaca, lacteorum obftructione, thoracici ductus ruptura, diabete, aliifque fimilibus caufis id aliquando fit.

133. Putredinis effectus funt acrimoniæ alkalinæ generatio; inde oriuntur effectus (a 72. ufque ad 80.)

134. Humores omnes diffolvuntur: hinc fanguis e venis eductus vix coit. Fallit tamen fæpe hoc fignum in ægris fibræ rigidæ, vel cum putredo non adeo magna eft: Tunc enim aucto circulatorio motu (133.) oritur aliquando (78.)

135. Humores diffoluti in fubtiliora penetrant vafa; inde colliquativæ excretiones fiunt per cutis, alvi, urinæ, aut falivæ, vias, quæ affiduæ funt, valde debilitant, emaciant, confumunt.

136.

136. Olea rancida fiunt; hinc os amarum.

137. Urinæ rubræ, fuſcæ fuliginoſæ, fœtentes, aliquando etiam jumentales; præcipue ſi quid craſſi corrumpitur.

138. Sputa copioſa, fuſca, flava, fuliginoſa, fœtida.

139. Vermium ortus. Quamvis enim hi generentur ex ovis; tamen putredo hæc ova fovet, & fœcundat.

140. Color faciei ſqualidus, fuſcus, ad flavum vergens; genarum rubor jens, rediensque.

141. Aëris elaſtici ex corrupto corpore ſeparatio; unde emphiſema, tympanitis.

142. Corrupta oleoſa inungente parte; diſſipata aquoſa ſiccitas oritur.

143. Lingua tegitur mucagine alba, quæ ſenſim ad flavum vergit.

144. Sitis, anorexia, nauſea, vomitus, acidorum appetitus, diarrhœa, dyſenteria oriuntur, ſi in primis viis adeſt corruptus humor.

145. Febres remittentes, irregulares, erraticæ; pulſus aliquando intermittentes; calor magnus, ſi in vaſis adeſt putrida materies.

146. Si putredo magna eſt, æger olet cadaver.

147. Reliqui effectus facile ex his deducuntur.

148. Hinc putredinis patet diagnoſis (a 132. uſque ad 147.)

149. Quomodo diſtinguendi putridi morbi? In acutos, & chronicos.

150. Quibus signis noscentur acuti? Ex signis circulationis nimis auctæ, & (ex 148.)

151. An hi omnes (150.) colliquativi (135.)? Qui a causa (4.° 132.) oriuntur, raro colliquativi, quia materies morbosa valde corrupta non est. Qui vero a diuturna alicujus humoris stagnatione oriuntur, in quibus putredo magna est, colliquativas excretiones conjunctas plerumque habent. Hæ tamen etiam in his aliquando absunt, si Ægri solidæ fibræ valde tenlæ, & rigidæ sunt. His enim crispatis excretiones (135.) impediuntur.

152. Quomodo putridi chronici morbi noscuntur? Ex signis motus vitalis nimis imminuti, & putredinis (148.)

153. An alia distinctio necessaria est pro diagnosi, & curatione morborum putridorum? Utique. Nam cum morbos putridos dicimus, non intelligimus hos oriri a materie omnino, & absolute putrefacta. Talis enim materies raro, aut nunquam in viventibus animalibus reperitur: neque enim Clar. Boerhaavius urinam in ullo morbo perfecte alkalinam invenit. Hinc in materie, quam putridam dicimus, motum illum (123.) jam natum esse, non absolutum judicamus. Idcirco cum non solum humores sani, sed etiam morbosi aliquando putrefcant, oriuntur ab his morbi, partim pendentes a malis illis qualitatibus, quas pravi illi humores putrescendo acquirunt,

par-

partim ab illis, quas ante hanc corruptionem habebant, & post eamdem servavere. Ut vero hi curentur, non sola putredo corrigenda, sed etiam pravæ illæ qualitates, quas post ipsam retinuerunt, tollendæ.

154. Quomodo curandi putridi morbi? Causæ (132.) tollendæ, coctio (27.) promovenda.

155. Quomodo in his satisfit indicationi (2.° 29.)? In acutis acida præcipue valent remedia; exficcantia quoque, si a nimio humido ortus est morbus. In chronicis balsamica, & aromatica ad sanos humores a corruptione servandos non parum valent.

156. Quomodo satisfit (4.° 29.) Si motus vitalis nimius est, acida adhibenda; laxantia (94.) si Ægri rigidæ fibræ sunt; venæ sectio, præcipue si adest conditio [78.]; cautela [167.] ante oculos habenda. Si vero, ut in chronicis, languet humorum circulatio, augenda aromaticis, & balsamicis, sed vide [159.]

157. An fructus horrei idonea sunt in chronicis alimenta? Quamvis hæc juvarent, putridum humorem reddendo mitiorem, tamen magis nocent, & vitalis principii actionem minuendo [2.° 3.], & excretiones [135.] augendo. Nihilominus, si æger infirmissimus non est, parva quantitate concedi possunt.

158. An, si varii humores sani putrescant ex 9. Mucilago, serum, pro horum diversitate, aliquomodo etiam varia esse debet medendi me-

methodus? Utique, nam confer [848.]

159. Quænam cautelæ in chronicorum curatione observandæ? Quia in his vitalis motus augendus; idcirco a lenissimis stimulantibus incipiendum, præcipue in ægris infirmioribus; alioquin putrida materies, quæ valde tenuis est [134.] pellitur facile in cerebri, & nervorum vasa, unde paralyses, convulsiones, apoplexiæ: aut saltem colliquativæ excretiones (135.) nimis augentur.

160. Quinam primarii Chronicæ putredinis effectus? Colliquatio (134. 135.); hinc macies, & tabes; vel aeris elastici generatio; unde Tympanitis.

161. Cur scrophulosæ, scorbuticæ, melancolicæ, & tot aliæ inveniuntur Phthises? liquet ex (153.)

162. Quænam temperamenta acutæ putredini magis obnoxia? Biliosa.

163. Quænam corpora chronicæ putredini magis opportuna? Gracilia, infirmiora.

164. An vi fermentativa pollet putrida materies? Liquet ex (1.° 132.)

165. Cur difficillime curantur putridi morbi, si corrupti humores ad asperam arteriam, & pulmones deferantur? Quia aer eosdem libere alliens ipsorum corruptionem valde promovet (1.° 132.): & quia pars princeps occupatur.

166. Cur morbi chronici aliquando fiunt acu-

acuti? quia omnes morbosi humores putrere queunt (153.), tunc autem fiunt alkalini acres (133.), & vitalem motum augent (70.) & quia etiam excretionibus illis (135.) aliquando impeditis, & magna putridæ materiæ quantitate in corpore retenta, solida vasa ab eadem nimis stimulantur.

167. An in acutis putridis venæ sectio semper adhibenda propter (94.)? Venæ sectio, si putredo magna, & ipse ruber sanguis corruptus, suspecta mihi est valde. Fortasse nocet, quia humores rarefacit, & magis dissolvit.

168. An vini abusus propter solam causam [97.] putredinem inducit? Minime; sed etiam quia, dum spiritus ardens assumitur, solida nimis stimulantur, motus augetur, crassiores humores in tenuiora vasa pelluntur (76), qui ibidem stagnantes corrumpi solent.

169. An idcirco magni vini potores venæ sectionem magis ferunt? venæ sectio in his juvare potest revellendo (40.)

170. Unde petenda prognosis in putridis morbis? ex (17. 18. 19. 44.); ex magnitudine signorum (148.) In chronicis si adsunt (165. 160.) fere certa est mors.

171. Cur in omnibus fere morbis aliqua putredinis indicia? liquet ex ejus causis (132.)

171. An putridi morbi absque ulla critica excretione sanari possunt? Minime. Nam cum pu-

putrida materies nulla arte sanis humoribus similis reddi queat; idcirco putridi æque, ac alii morbi coctione indigent, & critica excretione [13. 14]

173. An vitalis motus in chronica putredine deduci debet arte ad gradum [17. ? Id valde periculosum esset. Vide [159.]

174. Unde petenda signa, quibus putredo solidæ partis noscitur, ut in ulceribus putridis, carie, & similibus? Ex Chirurgicis.

175. Quanam in putredine juvat equitatio? in omni fere chronica, si vires satis valeant. Vid. mat. medic.

176. Quando lac optimum remedium? Quando putredo chronica oritur a lactatu nimio. Confer [82. 2.° 132.] quamvis etiam multis aliis in circumstantiis juvare queat.

177. Quibus horis majores esse solent putredinis effectus? Nocturno tempore. Quo anni tempore frequentiores putridi morbi? Autumno.

CAPUT IX,

De malignis Morbis.

178. Morbus, in quo vitalis facultas valde affligitur, vires prosternuntur, & cor fere obruitur, malignus dicitur.

179. Pulsus in hoc morbo, aut a sano non multum differt, aut parvus est, debilis celer.

180.

180. Color faciei pallidus, fuscus, aut lividum vergens: genarum rubor jens, rediensque frequens est.

181. Cutis sicca, aut levissimis sudoribus nihil juvantibus humida.

182. Lingua sicca, tremula, retracta, scissuris aspera, aliquando & nigra. Hæc aliquibus diei horis aliquantum humescit, & humidum vaporem effundit; dein iterum siccatur, & sic deinceps.

183. Portiones humorum aut nigrorum, aut viscidorum in linguæ superficie hærent sæpe.

184. Urinæ ut plurimum fusa, fuliginosæ: aliquando etiam nigræ.

185. Ægri somnolenti, stupidi, lethargo oppressi non infrequenter sunt.

186. Apparent sæpe in cute maculæ morsibus pulicum non dissimiles, aut plumbeæ, nigræ, quæ peticulæ dicuntur.

187. Tendinum subsultus frequenter adsunt.

188. Aliquando materiem liquidissimam, fœtidissimam porraceam, fuliginosam, aut nigram alvus egerit.

189. Malignus humor magna vi (*a*) fermentativa pollet: hinc maligni morbi valde contagiosi.

190. Remedia, quæ a plerisque Auctoribus laudantur in his morbis, vires erigunt, solida stimulant: ut cardiaca, alexipharmaca, sudorifera, veficantia.

191.

(*a*) *Cap. IX.*

191. Tumores glandularum non infrequentes sunt, qui si suppurantur, rumpuntur, & diu aperti manent, & album æquale Viscidiusculum pus emittunt, Bonum: si vero nigri fiunt, & ad gangrænam vergunt, vicinam prænunciant mortem.

192. In Cadaveribus illorum, qui hoc morbo decubuerunt, gangrænæ & in externis, & in partibus internis sæpe inventæ. Immo vidi puellam maligna peticulari febre laborantem, in qua à repentino frigore repressæ evanuerant peticulæ. Ortum tunc est animi deliquium, pulsus sentiri non poterant, oculi convulsi. sinapismata applicavi, & cardiacum exhibui. Revixit puella, & peticulæ apparuerunt denuo, sed post tres, aut quatuor dies absque ulla manifesta causa evanuerunt iterum; neque tamen leipothymia successit, aut convulsio; neque pulsus imminuti, sed orta est gangræna in facie, quæ omni momento increscens ægram necavit cito.

193. De horum autem morborum causa vix quidquam a Neotericis traditur; idcirco summa hic cum prudentia procedendum.

194. Plurimi tamen Auctores humorum malignitatem vocant etiam humorum siderationem, magnam agnoscentes inter utrumque morbum similitudinem.

195. Recte id factum opinor, quod ut probetur, morbi hi inter se conferendi.

196. Si pars aliqua corporis nostri vinculo constringatur, portio illa, quae a corde magis est remota, & infra ligaturam posita, tumet, friget, stupet, livet, nigra sensim fit; cuticula post aliquod tempus a cute secedit, oriuntur vesiculae fundentes ichorem flavum, rubellum, aut nigrum. Si autem vinculum non tollatur, moritur omnino pars, & in foetidissimum tabum diffluit.

197. Vinculum hoc [196.] venas exterius positas comprimit, fluidorum transitum per illas impedit: arteriae vero, quae & interius sitae, & fortioribus constant membranis, & a validiori vi dilatantur, sanguinem adhuc recipere, & deferre possunt.

198. Hinc venae ab aggesto sanguine maxime dilatabuntur.

199. His repletis quam penitissime, arteriae quoque valde repleri debebunt.

200. Vasa autem lateralia ab arteriis oriunda, magis dilatata recipient humores crassiores.

201. Lymphatica quoque, quae aut a vinculo compressa, aut in constrictas venas se exonerare solebant, replebuntur quammaxime.

202. Turgebunt ergo haec omnia, nervos interpositos compriment; & cum haec vasa ulterius dilatari nequeant, oscillatorius illorum motus necessario cessabit: unde multiplici ex causa humorum omnium stagnatio oritur.

203. A stagnatione vero gangraena, sphacelus, & mors partis, 204.

204. Omnes autem causæ, quæ vasorum oscillationes, & circulatorium humorum motum impedire queunt, gignunt semper effectus (203. 196.)

205. Tales sunt ex. g. Frigus nimium, venæ, arteriæ, nervi compressi, aut ita læsi, ut spirituum, & fluidorum motus intercipiatur; defectus spirituum a decrepita senectute, morbis longissimis; venena mirabilia; progressivus humorum motus vehemens crassiora liquida in vasa tenuiora pellens. Id observatur frequentissime in variolis, quando cutis valde tensa, vasa stricta, & febris violenta humores a tergo valide urget.

206. Gangrænosus autem humor vi fermentativa adeo pollet, ut si pars morbida avivis statim non separetur, eam citissime in eamdem corruptionem trahat.

207. His præmissis quantum inter se conveniant maligni & gangrænosi morbi, videamus.

208. A malignitate gangræna (191. 192.) oritur; & a sphacelo malignus morbus. Vide, chirug. repurgat. clarif. Gorter. par. 633.

209. A stagnatione [203. 204.] sphacelus; maligni autem morbi Symptomata vitalem motum deficere in tenuvioribus vasis [a 180. usque ad 190.], languere autem in majoribus indicant [179. 190.]

210. Illa enim linguæ siccitas non ab humidi

midi defectu pendet, sed a deficiente vitali motu in vasculis saltvam secernentibus; alioquin nec criticus sudor in malignis cum juvamine prodiret unquam; nec remedia (190.) utilia essent.

211. Humor gangrænosus fœtidissimus, ad nigredinem vergens, vi fermentativa valde pollens (206.); iisdem autem qualitatibus præditus est malignus (183. 186. 188. 189.)

212. Liquet ex his (208. 209. 210. 211.) simillimum esse gangrænoso malignum morbum.

213. Ergo si causa aliqua stagnationem in aliquibus humoribus inducet, malignum liquidum poterit gignere.

214. Patet hinc ad quæsita omnia, quæ sequuntur, responsio.

215. Cur a motu vitali nimio peticulæ, excrementa nigra fœtentia, pulsus debilis, facies hyppocratica, & reliqua malignitatis indicia Gor. Chirurg. repurg. para. 633., & Sinden. de Variolis? Liquet ex (205. 212.)

216. Cur in gangrænosis, & malignis morbis fœtor magnus, & putredinis signa? Noscitur ex cognitis causis (3.° 132. 204. 213.)

217. Cur Febres colliquativæ peticulas aliquando junctas habent Confer Sinden. Observat. Medic. sect. 3.ª cap. 3.? Patet ex (216.)

218. An putridus, & malignus humor eadem res sunt? Minime; cum putridus vita-

lem motum augeat (133.), malignus imminuat.

219. Cur ergo eadem caufa tam diverfa morbofa liquida (218.) gignit? Humores extra vafa effufi putrefcunt; intra vafa vero inclufi prius fiderantur, antequam putrefcant; quemadmodum in fermentatione generatur prius gas fylveftre, deinde alchaol, fpiritus quamdiverfiffimi. Credo tamen, quod ab aliis incognitis conditionibus fiat; ut aliquando putrefcant, aliquando maligni evadant ftagnantes humores.

220. Cur Antiqui, dum malignas curabant Febres, obfervare folebant femper, utrum putredo malignitati prævalleret, an malignitas putredini, & prout alterutra major erat, alexipharmaca, vel antifeptica copiofius, & frequentius adhibebant. Maligni humores minuant (218.); putridi autem augent vitalem motum; idcirco fi a putredine nimis augetur, (quod tamen valde rarum) compefcendus eft antifepticis; fi vero a malignitate valde opprimitur, inftigandus alexipharmacis, quæ validiora effe debent, quo minor putredo, & major malignitas.

221. Quibus ex fignis maligni morbi magnitudo menfuratur? Ex illis, quæ circulationem torpere indicant.

222. Quibus in vafis maligni humores facilius generantur? In tenuioribus, ubi non difficulter ftagnare poffunt liquida.

223

223. Cur in robustis siccis, & rigidis corporibus adeo frequentes maligni? An ideo, quia serosa, lymphatica vascula valde stricta; humores autem in iisdem contenti aquosa parte minus diluuntur? An quia vis assimilans (188.) in his magis agit. Utrumque verum videtur.

224. Quænam magis generalis indicatio in malignis? Vitalem motum instigare.

225. An Veteres distinxerunt recte Febres malignas in tertianas, quotidianas, quartanas &c. Utique, nam varii morbosi humores stagnare possunt, & malignitatem acquirere. Confer (153.)

226. An pro horum (225.) diversitate varia esse debent alexipharmaca? Maxime

CAPUT X.

De Cruditate.

227. Homo cibi, potus, aut condimenti titulo acida, nitrosa, subalkalica, spirituosa, & plurima alia variæ indolis per os assumit.

228. Ex his tamen omnibus, si sanus est, blandum, lacti valde similem chylum semper conficit.

229. Ex hoc vero chylo ejusdem semper indolis sanguinem præparat.

230. Necesse est igitur aliquas in humano corpore potentias adesse, quæ immutationes has (228. 229.) faciant.

231. Si autem hæ [230.] recte non fiant, chylus vel eas retinet dotes, quæ in alimentis, ex quibus eductus fuit, præexistebant, vel eas habet, quas in ventriculo, & intestinis stagnando potest acquirere. Sanguis quoque crudus, & chylo nimis similis remanet.

232. Oritur tunc morbus, qui cruditas, aut cacochymia dicitur.

233. Hic autem triplici ex causa originem suam ducit: idest vel quia alimenta assumuntur ea quantitate, quæ vires potentiarum (230.) superat: vel 2.° quia eadem qualitatum suarum adeo tenacia sunt, ut ab his potentiis immutari non queant; 3.° vel quia denique hæ potentiæ languent, & infirmæ sunt; ideoque quamvis alimenta nec quantitate, nec qualitate peccent, tamen ab his præparari, & in bonos succos converti nullo modo possunt.

234. Quænam sit illa ciborum quantitas, quæ in sanis hominibus vires illas (230.) superare queat, determinari non potest; cum vires hæ variæ sint in variis. Generales tamen regulæ, quibus id cognosci poterit, ex Diætetiis facile deduci queunt. Idem autem dic de qualitate.

235. Potentiæ autem [230.] debiles sunt, vel idiosyncrasia, (quod & de his, & de aliis omni-

omnibus nostri corporis viribus intelligendum]; vel abusu 6. rerum non naturalium.

236. Hic vero abusus vel eam facultatem imminuit, a qua chylus conficitur; vel illam, a qua sanguis ex chylo præparatur.

237. Facultas chylum conficiens infirmatur ab omni causa, quæ ventriculi, & intestinorum peristalticum motum minorem reddit, ut spirituum defectus (1.° 82.), solidarum partium laxitas (2.° 82.), & ab omni causa, quæ diluentem substantiam, saponaceam vim illorum humorum minuit, qui alimentis, & chylo inde educto, in ore, faucibus, æsophago, ventriculo, intestinis, vasis lacteis, ducto thoracico immiscentur. Omnes autem fere morbi id efficiunt.

238. Facultas, quæ chylum in bonum sanguinem mutat, debilitatur ab omni causa, quæ circulationem tardiorem reddit; & a pulmonum præcipue vitiis. Cruditatis effectus varios esse debere pro diversitate alimentorum, quibus usus est Æger, liquet ex [231.], & pro varietate causarum [233.], ex quibus natus est morbus.

239. Quia vero vegetabilium partes assumunt sæpe homines in quibus abundat subacidus sal, aut nitrosus, qui difficulter a constrictibus nostri corporis viribus immutatur, vide celeberr. Vanvieten. de acrim. acid.; hinc in cacochymia chylus, & sanguis aliquid

de acida, aut nitrosa acrimonia plerumque participant.

240. Hæc autem vitales vasorum oscillationes minuit 2.° 3.

241. Nervis valde inimica est; unde convulsiones ab eadem sæpe fiunt.

242. Cardialgias, lumborum, & intestinorum dolores non raro efficit; picas etiam, & huic similes morbos.

243. Alvum aliquando stringit, aliquando solvit, & viridi colore feces inficit.

244. Lassitudinem in ęgris parit mane, quę post motum aliquando evanescit.

245. Vasorum oscillationes minuendo stagnationem inducit, unde aliquando putredo (3.° 132.)

246. Quibus signis noscitur cacochymia? Cognitis causis [233.] 2.° signis, quę ventriculum, & intestina debilia indicant, ut sunt gravitas a cibo, ventriculi inflatio, ructus, borborigmi, flatus, torpor, somnolentia; a signis motus vitalis [81.] imminuti: ab urina pallida, aquosa, cruda, aut turbata, crassa cum sedimento ad flavum vergente, nisi jam ortus sit effectus [245.]: a signis [240. ad 246.]

247. Quomodo tollenda cacochymia? Primo tollendę causę [234. 235. 237. 238.] [si potentię [235.] ex temperamento languent, nulla arte roborari possunt; quod de his dictum semel omnibus applica] Cruditates coquendę [27.]

248. Quid agendum si cruditas orta est ex caussa prima [233.]? In his ęgris vasa solent esse plena crudis, & acribus succis; corpus idcirco crassum est, abdomen tumidum, pulsus magis celeres, & magni, quam in aliis cruditatibus. In his igitur vasorum plenitudo tollenda venę sectione; cibo pauco, levi subalkalico; remediis, quę leviter alvum ducant, & solida stimulent.

249. Quid, si adest flatus [2.° 233.]? Alimenta mali succi omittenda, cibus levis subalkalicus adhibendus, cruditates coquendę stimulando solida salibus alkalicis fixis; aquorum usu alvus turbari solet [14. 24.] cum juvamine.

250. Quid; si [3.° 233.]? Causę [237.] tollendę (107. 108.); Cruditates coquendę (249.)

251. Quid in (2.° 237.)? vitia humorum corrigenda; dein coctio promovenda (249.)

252. Quid si (238.)? Causę (81.) tollendę; coctio adjuvanda (249.)

253. Si ventriculus, & intestina replentur cruditatibus a quacumque causa ortis, cibus levis imperandus; alvus ducenda remediis, quę ventriculum, & intestina abstergant, & roborent.

254. Quibus in convulsionibus precipue valet febris? in illis, quę ab acrimonia (239.) pendent. Vitalis enim motus auctus cruda acria obtundit, & per alvum expellit.

255. Qui morbi cibo levi, & motu musculari moderato curantur? qui nascuntur a causa (239.)

256. Si cruditates ortæ sunt a coitu nimio, aut nimio vini abusu; tunc ducendæ ad alvum remediis (248.); si ægri plethorici sunt, venæ sectio adhibenda. Ab his enim causis cruda in locum coctorum pelluntur.

257. Si adest flatus (245.) adhibenda remedia (609.)

258. Quomodo coctio fit (1.° 27.)? Cibo (a) eupepto levi, motu musculari moderato, somno satis longo; evitando causas (233.)

CAPUT XI.

De vi fermentativa, vel seminali, aut assimilante.

259. SI cutis hominis vel sanissimi, sed variolas nondum passi incidatur; dein in hoc vulnere guttulæ aliquot ponantur illius puris, quod in variolosis gignitur pustulis; absorpto hoc pure, & humoribus mixto, post aliquot dies febris acuta inflamatoria nascitur; dein variolæ ipsæ, quæ maturantur, & pure replentur.

260.

(a) *In corporibus valetudinariis, & infirmis: cæterum sani homines nullis se obligare debent legibus.*

260. Pus autem hoc ita genitum (259.) alium sanum hominem potest inficere; & sic deinceps.

261. Inest ergo huic liquido vis, qua humores hominis etiam sanissimi in substantiam sibi similem invertit. Hæc autem vis fermentativa, seminalis, aut assimilans dicitur.

262. Venereum Miasma; scabiosa, putrida, pestilentialia, maligna, & plurima alia morbosa liquida simili pollent facultate.

263. Quo majori in gradu est morbus, qui ab his (262.) gignitur; eo majori fermentativa vi eadem pollent: hinc præcipue dum ægri in agone mortis sunt, ab illorum exhalationibus cavere nos debemus.

264. Quo major quantitas horum seminum (262.) sanum inficit hominem; eo pejor morbus nascitur.

265. Fermenta hæc alia statim fere, ac homines infecerunt, suos edunt effectus. Id liquet præcipue in variolis, peste, putridis, ac malignis morbis: alia vero diu latere possunt, antequam morbum pariant; ut venereum miasma.

266. Vis autem illa (261.) non in eodem gradu semper permanet, sed ut plurimum sensim minuitur, & fere deficit. Id docet præcipue pestis observatio. Minima enim aliquando portio illius veneni, a quo pestis gignitur alicubi latens, & subito exiens, omnes

fere

fere ibidem præsentes inficiet, & ab his maxima integræ Urbi clades infertur. Post aliquot tamen menses, ideft in peftis fine veneni hujus vis adeo minuitur, ut quamvis & plurima cubilia, & tota Urbs, & omnis circumfluens aer eodem repleantur; tamen & pauci, & leviter ab eodem inficiantur.

267. Eadem vis (261.) a calore, frigore, motu mufculari nimio, aut quocumque alio 6. rerum non naturalium ufu augetur, vel minuitur, pro varietate feminum (262.)

CAPUT XII.

De manifeftis aeris qualitatibus.

268. Calor noftri corporis exhalationem auget, aquofam præcipue humorum noftrorum portionem abfumit, reliquos acriores facit, eofdemque ad putredinem difponit: fibras vero ficcat, & laxat. Forfitan & vitalis principii actionem auget (2.° 3.)

269. Frigus fibras contrahit exhalationem minorem reddit, humores cogit. Confer & (98.)

270. Humidum fibras laxat, exhalationem minuit, humores ad putredinem difponit.

271. Siccum aquofam humorum noftrorum portionem aufert: hinc reliqui acriores remanent; fibræ ficcantur, fragiliores fiunt: cutanea

nea vasa exhauriuntur, cruda penetrant in locum coctorum, idest crassiores humores in tenuiora vasa.

272. Caput, fauces, pulmo, & pleura ab his aeris vitiis magis patiuntur. Res per se liquet.

CAPUT XIII.

De Epidemicis in genere.

273. Epidemicus morbus ille dicitur, qui plurimos eodem tempore opprimit.

274. Hunc a generali aliqua causa pendere, extra omnem controversiam est.

275. De his autem communibus causis, quae a me observatae fuerunt, solummodo dissaeram. Hae autem sunt.

276. Manifestae aeris qualitates. Has hominibus nocere posse, & communis illorum sensus, & statica experimenta, & clinicorum omnium observationes docent. Vide praecipue Hyppocratis Aphoris.

277. Semen morbosum (262.) alicubi genitum vi fermentativa pollens, & aliquo modo ad eam regionem delatum, in qua Medicinam faciebam. De hujus causae vi nemo dubitat. Pestis enim, & variolae hanc nimis docent.

278. Si morbosus aliquis succus a causa
(276.)

(276.) vel alia quacunque in hominum plerisque gignitur; tunc non statim in omnibus illis, in quibus adest, morbum parit. Cum enim pro varietate temperamentorum varia quantitas hujus succi generari debeat (ex. g. ab aere nimis humido perspiratio minuitur: materia, quæ per cutem expelli debebat, retenta est ille morbosus succus, qui ab hac causa originem ducit. Hujus tamen quantitas non eadem erit in omnibus hominibus, qui in humido aere vitam degunt, sed major in temperamentis humidis, & fibræ laxæ, minor in siccis, & fibræ rigidæ) in iis tantummodo morbus oritur, in quibus ea quantitas adest, quæ humanas functiones potest lædere. Hinc plurimæ oriuntur Epidemicorum diversitates. Cum enim hi succi neque statim morbos pariant, neque statim (cessante etiam causa, quæ illos genuit) a viribus vitæ expellantur, idcirco in humano corpore retenti, stagnantes vario modo corrumpuntur, idest putrescunt, aut siderantur & malignos (178.) pariunt, vel putridos 123. morbos, qui varii quoque pro varietate succi stagnantis. Hoc notissimum in tertianis, aut aliis intermittentibus, quæ malignæ fiunt. Videtur tamen levis aliqua vis fermentativa in his succis fere semper adesse, quæ quamvis humores hominis sanissimi in suam naturam mutare non queat, tamen fluidorum illorum, quæ ex alimentis quotidie ge-

nerantur, portionem aliquam in eamdem corruptionem trahit in iis hominibus, qui illis morbosis succis infecti sunt. Durante constitutione descripta Cap. XXII. quæ pendebat ab humore crasso [453.] orto evidentissime ex causa [429.] ego fere semper crassam urinam excernere solebam, ideoque fere semper portionem aliquam illius mali succi, a quo stationarius pendebat, expellebam. Si succus [453.] nullam vim fermentativam habuisset, cessante causa [429.] post aliquas crassæ urinæ excretiones ab eodem liber remanere debuissem. Id ramen non evenit. Sed per duos annos cum dimidio, quibus constitutio hæc duravit, crassam ut plurimum excrevi urinam, ideoque ea quantitas morbosi succi e meo exiit corpore, quæ ipsius pondus superasset. Id certe contingere nullo modo potuisset, si succus ille vim aliquam fermentativam non habuisset.

279. Cum igitur hæc morbosa semina diu in nobis aliquando maneant, non infrequenter relinquunt imbecillitatem aliquam in iis vasis, a quibus continentur. Hæc autem novi stationarii causa esse potest.

280. Patet hinc ad præcipua, quæ circa Epidemicos fieri solent, quæsita, responsum.

281. Cur Epidemicæ Constitutiones suum principium, incrementum, statum, decrementum habent, & finem? Quia vis fermentativa (278.) in morbosis succis a generali aliqua

causa

causa genitis, sensim minuitur, & fere cessat (266.) Hęc est præcipua, quamvis multę aliæ causę, quas enumerare nimis longum esset, concurrere queant.

282. Cur ab iisdem aeris qualitatibus non eędem semper constitutiones oriuntur? Effectus ab iis qualitatibus pendentes varii esse solent. 1.° prout majus, aut minus est aeris vitium, & prout breviori, aut longiori tempore durat. Ita Ex. g. tempestas humida prius morbos ex prohibita perspiratione pendentes efficit, dein longius durans gignit putridos: 2.° prout vario modo disposita sunt humana corpora eo tempore, quo hęc aeris vitia nascuntur. Si enim eo, quo oriuntur, tempore eadem corpora jam epidemici alicujus semen (262.) gerunt; tunc non eosdem pariunt effectus, ac gignere solent, cum aut perfecte sana sunt, aut alterius epidemici semine infecta. Ita Clariss. Sindenhamius anno 1693. post magnum frigus observavit tusses epidemicas, pleuritides, peripneumonias, qui tamen morbi a nulla alia causa pendebant, nisi a materie morbosa, quę febrem pregressę constitutionis fecerat, repressa vi frigoris, & in asperam arteriam, pleuram, pulmones translata. Si quis quolibet tempore post vehemens frigus, morbos ejusdem naturę expectaret falleretur valde. 3.° prout aliæ causę [277. 278. 279.] simul cum aeris vitiis concurrunt ad constitutionem aliquam gignendam.

283.

283. Quomodo Epidemicus Epidemicum gignit? Liquet ex (278. 279.)

284. Cur in sudore anglico illi, qui prophylaxeos causa in longinquas migrarunt regiones, ibidem tamen eodem morbo correpti sunt; peregrini vero in Anglia hospitantes ab eodem immunes extiterunt? Id potest eveniree in omni Epidemico, cujus causa sit [278.] Malignitas enim illa, aut putredo oriri non potest nisi in iis, in quibus adest succus ille qui a stagnatione malignus, aut putridus fit. Cum autem succus ille genitus fuerit ex causa, quæ præextitit, & cessavit ante illud tempus, quo succus ille corrumpi incipit; liquet, eos solos corripi debere morbis ab hoc succo natis, qui ab ejusdem causa affecti fuerunt. Ergo in sudore anglico (qui putredinis species a stagnatione ortæ fuisse videtur) hospites, & peregrini, qui eo tempore non fuerant in Anglia, quo præextitit causa, quæ succum illum generavit, qui putrescendo sudorem anglicum efficiebat, ab eodem corripi non poterant. Contra vero Angli, qui in Galliam, aut Flandriam se contulerunt, ab eodem opprimi debebant, quia ejusdem semen secum gerebant.

285. Cur idem Epidemicus nunc in hac, nunc in illa regione absque ullo communicato contagio caput effert? Id observatum fuit præcipue in morbo (722.) Cum epidemicus ali-

aliquis oritur a (278.) tunc in una citius, in altera regione tardius caput efferre potest, si in omnibus illis regionibus praeextitit causa succum illum generans: pro varietate autem circumstantiarum in aliis citius, tardius in aliis succus ille corrumpitur, aut sideratur.

286. Quomodo cognosci poterunt Epidemici? Notis viribus generalium caussarum (a 276. ad 279.) inventis communibus signis in aegrorum plerisque, qui eodem tempore curantur.

287. Quo tempore Epidemicorum signa clariora sunt? in eorum principio.

288. Quo tempore novus aliquis stationarius expectari debet? Cum deficere incipererunt signa praecedentis; cum methodus, qua praecedens curabatur, parum, aut nihil valet; cum insignis aliqua mutatio in aere orta est.

289. An ulla diversitas esse debet in curatione aegrorum ab eodem stationario oppressorum? Utique, pro varia morbi magnitudine, pro varia aegri idiosyncrasia: aliquando enim, fit, ut aliqua temperamenta ferre non valeant remedia in ea constitutione probata. Praeterea, si succi (*a*) alii morbosi a peculiaribus, & propriis causis pendentes adsint in aegro, qui stationario morbo opprimitur, specifica quoque adversus eos morbosos succos adhibenda remedia. Immo Symptomata quaedam peculiaria, ejus-

(a) *Idem intelligendum de Solidorum morbis.*

ejusdem stationarii aliquam in medendi methodo immutationem requirunt. Ita si Epidemicus curaretur incidentibus, & stimulantibus; hæc tamen adhiberi non deberent, si ab eodem insignis aliqua hæmorragia nata esset.

290. Hoc quoque addere debeo: si materies morbosa epidemicum gignens deferatur in vasa ligamentorum, tendinum, & rheumatismum faciat; Tunc copiosius sanguis mitti debet, & magis sedari vitalis motus, quam si eadem materies alibi hæreret, & parem inflammatoriam febrem faceret, qualis in eo rheumatismo observatur.

291. Si Asthma, aut Icterus a materie morbosa stationarii gignatur; aliquomodo immutanda est medendi methodus. Sed de omnibus disserere nimis longum esset.

292. An in solis acutis Epidemicorum Indicia apparent? Minime. Sed etiam in chronicis eorumdem signa sæpe observantur, & pro Epidemicorum varietate vario sæpe modo curari debent.

CAPUT XIV.

Febres intermittentes, quæ autumnis annorum 1747. 1748. grassatæ sunt.

293. Quidquid de Epidemicis hic trado, a me ipso observatum fuit. Eo tem-

 po-

pore, quo hi grassati sunt, variis in locis Medicinam feci; in omnibus tamen purus, & salubris erat aer, nullisque quæ nosci possent, peculiaribus inquinatus exhalationibus.

294. Circa Junii mensis finem anni 1747. grassari cœpit Febris, quæ intermittentis tertianæ, aut duplicis tertianæ typum gerebat.

295. Incipiebat ideo cum oscitatione, pandiculatione, horrore, frigore, tremore, quibus succedebat calor, & post 14. aut 15. a paroxismo horas omnino cessabat.

296. Symptomata, quæ fere semper hanc febrem comitabantur, erant os amarum, anxietas circa præcordia, nausea, vomitus, amaror materiei vomitu rejectæ: post 7. autem, vel 8. a febris initio dies, diarrhœa, aut dysenteria superveniebat.

297. Aderant etiam frequenter (præcipue in majori morbo) sitis magna, dolor capitis fere intolerabilis, aurium tinnitus, delirium.

298. Cortice peruviano si abigebatur, redibat plerumque.

299. Saponacea acida magis juvabant; quamvis sæpe etiam his pulsa febris revertetur.

300. Nemo, quantum scio, ex hac simplici febre periit.

301. Si tamen multum durabat; aliquando abdominis tumorem fere tympaniticum, aut febriculam hecticæ similem eidem successisse vidi:

di: quæ tamen symptomata ingruente hyeme sponte evanuerunt.

302. Quamvis hujus Epidemicæ constitutionis causas hic determinare non audeam, cum nec stationarium progressum, nec manifestas aeris qualitates satis observaverim, tamen symptomata (296. 297.) a bilis corruptione ortam fuisse hanc febrem aperte indicant.

303. Os enim amarum, vel bilem corruptam notat, vel pinguedinem rancidam Gotter Chirg. repurg. parag. 904. Ægri autem nec oleosos cibos assumpserant, nec stomaci debilitate laborabant omnes: ideoque credi non potest, hanc amaritiem ortam esse a cibis oleosis in ventriculo retentis, ibidemque putrefactis. Nec ulla aderant signa, quæ putredinem alicujus oleosi humoris corporis nostri indicarent. Nec febris (294.) illius erat periculi, ut morbi ab hac causa pendentes. Confer (839. 853.)

304. Bilis ergo putridam corruptionem in hac febre notabat hoc Symptoma (303.)

305. Idem dic (303.) de amaritie materię vomitu rejectę.

306. Reliqua autem Symptomata (296. 297.) eamdem causam (304.) satis aperte ostendunt.

307. Quin & hac posita (304.) intelligitur origo omnium, quæ in (296. 301. 297.) dicta sunt.

308. Cur [297.]? magnus ventriculi cum capite consensus; absorptio corruptæ materiei; ejusdem ad meninges translatio; febris ipsius impetus hæc symptomata [297.] gignere potuerunt. Vide Gorter. Medicin. Hippocrat. Aphoris. 170. & alibi.

309. Cur tumor tympaniticus his febribus aliquando superveniebat? in omni putredine generatur magna quantitas aeris elastici, qui hoc symptoma potest gignere. Confer. (160.)

310. Cur febricula hæcticæ similis? Liquet ex [160.]

311. Quinam ex Auctoribus de his Febribus melius scripserunt? Vide Commentaria Clar. Vansviethen. cap. de Feb. intermitt. ubi hac febres exacte describit, & ab eadem causa deducit.

312. Quid corruptionem illam (304.) in bile inducere poterat? Clar. Gorterus ait, autumnali tempore oriri morbos, qui caloris æstivi effectus sunt: calor autem putredinem inducit 132. Cum vero bilis sit humor magis quam reliqua nostri corporis liquida, acris subalkalicus, & ad putredinem dispositus; idcirco hic omnium primus corrumpi debet. Credo quod recte dicat, sed nihil hic ab experientia determinare possum.

313. Quomodo noscebatur hæc constitutio? Ex anni tempore, quod ad hos morbos gignendos valde aptum erat. Confer Clar. Vans-

Vanswieten. loco supradicto, & celeb. Gorteri Medicin. Hippocrat. variis locis præcipue, ubi agit de anni temporibus. 2.° Ex Phænomenis [295. 296. 297.] 3.° ex juvamine & remediis [299.]

314. Quæ prognosis? Vide (300.)

315. Quomodo curabatur? Si Febris valida erat, & corpus ægri valde rigidum saponaceis acidis ungenda diluentia laxantia: in aliis sola saponacea sufficere poterant.

316. An semper hanc febrem curabant remedia (315.)? Minime. Hæc enim putredinem impediunt, natam vero non tollunt, nec anciditatem oleosæ portionis corrigunt. Vide Medicin. Hippocrat. aphoris. 169.

Juvabant tamen plerumque, si morbus erat in principio, si vitalis motus nimis glisebat, si æger erat robusti temperamenti: dum vero a diuturnitate morbi vires ægri fractæ erant, hæc remedia, quia vitales vasorum oscillationes minuunt (2.° 3.) adhiberi non debebant.

Quid agendum, dum bilis erat valde corrupta, nec remediis [315.] corrigi poterat? Tunc purgante saponaceo acido cum juvamine per alvum exturbari poterat. Vide Medic. Hippocrat. aphoris. 170.

An diarrhæa [296.] semper symptomatica erat? De hac re nihil in meis adversariis scriptum invenio; sed nisi fallor, credo, quod aliquando critica esset, & haberet

proprietates [14.] tamen de hoc recte non memini.

An regula [4.ª 29.] in hoc morbo observanda? Utique: nam docet experientia non modo ea, quæ augent, sed etiam quæ minuunt, aut turbant bilis motum, hanc corruptionem sæpe inducere: ut mœstitia, ira, purgantia acerrima, mercurius ad bilis organa delatus, & similia.

320. Cur etiam saponaceis acidis pulsæ febres sæpe redibant [299.]? Si pro harum febrium causa admittitur, quod [312.] diximus, ratio intelligitur. Calor enim aeris duravit usque ad Octobris finem.

321. Cur ingruente hyeme, & febres [294.] & symptomata [301.] evanuerunt? Eadem responsio [320.] hic valet.

322. Anno 1748. circa Junii finem febres [294.] omnino easdem stationarias observavi.

323. Quinam tamen hyberno tempore ejusdem anni Epidemicus grassatus sit, quænam aeris vitia hanc costitutionem præcesserint, ne ea quidem hyeme notare potui aliis rebus intentus.

CA-

CAPUT XV.

Morbus stationarius pendens a materie insensibilis perspirationis retenta.

324. A Decembris initio usque ad finem Veris anni 1749. spirarunt frequentissime meridionales venti, qui calidum, prout eo tempore esse solet, & humidum valde reddiderunt aerem.

325. Febres, & illarum symptomata [295. 296. 297.] omnino evanuerunt. Morbus autem, qui tunc stationarius esse incoepit, his precipue se prodebat signis.

326. Querebantur aegroti de dolore capitis, aut laterum Thoracis, qui noctu valde atrox erat, mane fere cessabat, ad solis occasum iterum revertebatur.

327. Vix ulla aderat Febris, nulla sitis, lingua humida, urinae valde copiosae, caeterum neque consistentia, neque colore a sanis dissimiles.

328. Haec autem urinae quantitas ne hilum quidem juvabat.

329. Sudor vero calidus, moderatus, etiam in morbi principio erumpens, eumdem cito solvebat.

330. Plerique tamen sine ulla sensibili evacuatione sanati sunt.

340. Praeterea cum humor hunc morbum efficiens haberet proprietates illas, quas summi in Arte nostra Viri succo illi inesse observaverunt, qui perspirare debet; patet liquido a causa (324.) morbum hunc natum esse.

341. Materies enim insensibilis perspirationis praeparatione non indiget, si aliquantisper retenta copiosius expelli debet. Medicin. Hippocrat. aphorist. 21. Similiter autem humor hunc morbum gignens praeparatione non indigebat. Nam & in morbi initio a natura (329.) vel arte (333.) cum juvamine expellebatur.

342. Eadem materies (341.) tenuis est. Ita enim sentiunt omnes, qui de perspiratione scripserunt. In morbo autem (326. 327.) nulla aderant signa, quae crassitiem liquidi eumdem gignentis notarent. Immo si crassum fuisset; tunc & praeparatione indiguisset, & in morbi principio per cutanea vascula insensibiliter transire non potuisset.

343. Idem humor, si retinetur, acris fit. Gorter. Medicin. Hippocrat. aphorif. 22. Liquet vero ex doloribus, quos gignebat, morbosum hoc liquidum acrimoniam habuisse. Dolores enim, qui ab obstructione fiunt, nec tam breviter cessant (329. 333.) nec tam facile recurrunt (326.)

344. Fluidum (341.) duplici constat materie. Gorter. de insensib. Perspirat. cap. 12. & & passim in omnibus suis Operibus: altera

co-

comuni, quæ per omnia emunctoria; altera propria, quæ per solam cutem excerni potest. Liquidum pariter hunc morbum gignens duplici constabat materie; altera comuni, quæ urinæ quantitatem augebat, altera propria, quæ per cutis vascula cum juvamine expellebatur (329. 333.)

345. Quænam erant hujus Epidemicæ constitutionis signa? Primum cognitio causæ prægressæ, idest initium hyemis valde humidæ (324.)

346. Secundum applicatio causæ eo tempore, quo præcedens Epidemicus cessaverat, & nullum aderat in materie, quæ perspirare debebat, vitium. Nam vide (2.um 282.)

347. Tertium cognitio, indolis stationarii prægressi, qui nullam in corporibus dispositionem relinquebat, quæ novi morbi causa esse posset. Confer [279.]

348. Quartum Phenomena ejusdem in plurimis eodem tempore conspecta, & juvamen a remediis [333.] Vide Historiam [a 326. ad 333.]

349. Quintum observationes proprietatum a [341. ad 344.] in fluido stationarium morbum gignente.

350. Hæc omnia si concurrant, vix fallere poterunt.

351. Quænam prognosis? Liquet ex [329. 333.]

352. Quænam apta medela? Ratio (341.)

Expe-

Experientia [333.] Natura [329.] Diaphoreticorum usum aperte docent.

353. An in omnibus temperamentis juvant remedia (333.)? Mulieres nervorum mobilitate laborantes a decoctorum usu convellebantur, nec illa ferre poterant. Quiete in lecto, tepore, fomentis, victu apto abigi in his poterat morbus.

354. Nota. Mulier quædam annorum 45. hoc grassante morbo, post aurium tinnitum diu toleratum, nocturno tempore correpta fuit levi hemiplegia. Huic statim fere supervenit febris cum sudore rorido, & maximo juvamine. Eo autem cessante sudore, diaphoreticis aucta fuit perspiratio, & post paucos dies fere convaluit. Liquet ex hac historia hemiplegiam hanc a causa (340.) ortam fuisse.

355. Ab eadem causa plurima alia symptomata excitari possunt, ut eo tempore observavi; idest tusses, raucedines, dolores faucium, ventris; pruritus totius cutis, dysuria, & plurima alia; prout hanc, vel illam partem occupabat morbosa materies.

356. Quomodo curanda (355.)? Omnia methodo [333] abigenda.

357. Quibus periculis obnoxia erant remedia 333.? Vix determinari possunt in generalibus his pericula omnia, quibus hæc, aut illa medendi methodus obnoxia est, cum Medicus ex cognita remediorum vi, & morborum

essentia, ac circumstantiarum diversitate hoc noscere debeat: ideoque de universa medicina verba facere deberet, qui omnia pericula vellet enumerare: tamen frequentiora notare non incongruum erit.

CAPUT XVII.

Hepatitis Notha.

358. Aliquando, præcipue ad Veris initium in corporibus crassis, pinguibus, otiosis, aut senibus, post repetitum diaphoreticorum usum superveniebat peripneumonia, aut Hepatitis spuria.

359. De notha peripneumonia adeo egregie scripserunt Clar. Sindenhamius, & Boerhaavius, ut de hoc morbo, quid ulterius tradi queat, ignorem. Pauca tantummodo ad spuriam Hepatitidem spectantia hic afferre non supervacaneum puto.

360. Oritur ex iis iisdem causis, ex quibus spuria peripneumonia; nempe ab humore lento, crasso, glutinoso, crudo, vi febris, caloris, remediorum stimulantium, aut aliuscujusque moventis causæ, pulso in vasa hepatis nimio impetu, eademque infarciente.

361. Gignit perpetuam circa scrobiculum cordis anxietatem, febriculam lentam, dyspneam, flatulentiam, alvum plerumque tardam.

362.

362. Si morbus hic aptis remediis non vincitur, humorum circulatio per hepatis vasa sensim impeditur; inde aut ascites oritur, & artus inferiores, scrotum, præputium, abdomen inflantur; aut stagnantium putredo, unde sitis, dyssenteria, tormina, tenesmus, aëris elastici generatio, tympanitis; aut utrumque fit.

363. Hinc patent signa hujus morbi, quæ petuntur ex cognitione ægrorum, qui ad hunc dispositi sunt [358.], causarum [360.], quæ eumdem gignunt; effectuum [361. 362.] qui ab ipso nascuntur.

364. Quæ prognosis? Si morbus est in principio, si mitissimus in genere suo, si æger non valde senex, si aptis remediis statim curatur, methodo [367.] ut plurimum tollitur.

365. Si vero conditiones (364.) absunt, ut plurimum incurabilis est.

366. Quomodo huic hepatitidi facienda medicina? hæc ut plurimum cum notha peripneumonia conjungitur, & eadem fere methodo curatur.

367. Imperetur victus tenuissimus ex cibis subalkalescentibus; paucæ sanguinis unciæ emittantur, quæ missio post unum, aut alterum diem repeti potest, si æger non valde senex; aut hirudines applicentur hæmorroidibus: alvus servetur lubrica clysmatibus, immo purgetur etiam bis, aut ter eccoproticis.

368.

368. Attendatur in horum usu, ne vis vitæ labefactetur nimis, & idcirco pituitæ generatio augeatur. Vide Boerhaav. cap. de glutinos. Spontan.

369. Alvus a natura sponte turbata (14.) etiam in principio juvat; quod medelam (367.) probat.

370. Morbus pertinax est fere semper, ideo victu subalkalico per multum temporis utendum.

371. Emollientia, saponacea, diluentia juvant applicata regioni hepatis, aut ore assumpta in corporibus fibræ rigidæ; sed in horum usu attendendum ad (368.)

372. Cur hic morbus oritur aliquando post diaphoreticorum usum? Liquet ex (360.) Diaphoretica enim vitales vasorum oscillationes augent.

373. Cur pituita a quacumque causa nimis mota in hepatis vascula facile pellitur, & ibidem stagnat? Origo vasorum, quæ sanguinem hepati deferunt, leges hydraulicæ, hepatis ipsius structura respondent huic quæsito.

374. Cur eo anno frequentior morbus (360.)? Aeris humiditas fibras laxat, & pituitæ generationem promovet Boerh. cap. de fibræ laxitate, & glutinos. Spontan. Liquet ergo responsio.

375. Quænam ergo cautelæ adhibendæ, ne eveniat quod in [360.]? In ægrotis [358.]

Dia-

Diaphoretica pauca dosi, & summa cum prudentia exhibenda: ad cujuslibet etiam levissimæ anxietatis, aut dyspnææ initium ab iis abstinendum.

376. Quid de Vesicantium usu in his morbis sentiendum? Hæc in peripneumonia notha laudat Boerhaavius. Sed quia hæc vasorum oscillationes valde augent, & ideirco causam (360.) majorem faciunt, tentare ausus nunquam sum. Semel, aut bis in peripneumonia notha sinapismata applicavi, & pejorem inde factum fuisse morbum vidi.

377. Balnea pedum aliquod in his morbis [358.] solamen afferunt.

CAPUT XVIII.

Febris remittens a materie insensibilis Perspirationis magis corrupta.

378. Febris hæc incepit circa Februarii mensis finem; Vere frequentissima fuit; desiit in subsequentis hyemis initio.

379. Incipiebat plerumque vespertino tempore cum pauco, aut nullo frigore; mane remittebat, vespere subsequenti iterum recrudescens.

380. Dolor, si quis hanc febrem comitabatur, caput & Thoracem, ut plurimum vexabat; levis autem dyspnæa aderat, ubi Thorax afficiebatur.

381. Dolores hi (380.) continui erant, noctu tamen semper majores.

382. Lingua humida, & quadam mucagine tecta.

383. Urinæ pellucidæ fanis magis coloratæ, ad flavum vergentes.

384. Sitis, diarrhæa, aut dysenteria, præcipue mensibus Augusti, & Septembris huic febri conjungebantur sæpe.

385. Pulsus erat mollis potius, quam durus.

386. Sanguis e vena eductus raro densitatem habebat.

387. Erysipelas etiam aliquando hanc febrem comitabatur: cutis tunc fugaci quadam rubedine, ad flavum tendente, ad digiti pressionem evanescente suffundebatur: parum tamen, aut nihil tumebat, sed non mediocri dolore, & calore excruciabatur.

388. Absorbentia, refrigerantia parti affectæ applicata morbum alleviabant.

389. Sudor calidus, moderatus etiam in morbi initio erumpens, & has febres, & omnia ejusdem Symptomata fugabat.

390. Diaphoretica refrigerantia etiam cum juvamine adhibui.

CA-

CAPUT XIX.

De hujus Febris Causa.

391. Febris hujus origo non difficulter intelligetur ab iis, qui confiderabunt, ortam esse eo tempore, quo causa (324.) perspirationem minuens, & humorum ad putredinem inclinationem augens diu duraverat; idcirco materies insensibilis perspirationis magis corrupta (4.° 132.), acrior, solida stimulans, Febrem remittentem [145.] dolores capitis, & Thoracis [272.] nocturno tempore majores (177.); immo & reliqua omnia Symptomata (a 381. ad 387.) gignere debebat.

392. Cur enim lingua humida, & quadam mucagine tecta (382.)? Liquet ex (143.)

393. Cur sitis (384.)? Vide (144.)

394. Cur urinæ (383.)? Urinæ color a putredine semper augetur 137. Fuscæ autem, & fuliginosæ non erant, quia materies corrupta tenuissima erat (342.), nec magnus erat putredinis gradus.

395. Cur urinæ in hac febre non adeo copiosæ, ut in præcedenti morbo? Quia in hac febre major aderat putredo, cujus vi humidum exhalat: præterea circulatio humorum, & calor majores erant, a quibus partes aquosæ magis diffiantur; idcirco portione illa com-

 mu-

muni [344.], quæ per omnia excretoria transire potest, magis consumpta, urinæ adeo copiosæ esse non poterant.

396. Cur Erysipelas [387.]? A materie subtili, acri, irritante, pendere hunc morbum probat Clar. Gorterus. Vide Chirug. repurg. cap. de Erysipela.

397. Cur autumnali præcipue tempore diarrhææ, & dyssenteriæ? Liquidum morbosum tunc magis corruptum erat (177.) ideo in hac febre ad intestina delatum hos morbos gignebat.

398. Cur pulsus mollis, & sanguis eductus raro densitatem habebat [385. 386.]? Quia febris hæc grassabatur plerumque in ægris temperamenti humidi, & fibræ laxæ, & quia putredo humores solvit. Si tamen aliquando ægri rigidions fibræ ab eadem vexabantur, & durior pulsus, & densior erat sanguis. Confer [134.]

399. Cur nunquam fere hic morbus, ut ille prior, absque sudore evanuit? Materies insensibilis perspirationis in hoc morbo magis corrupta erat, quam in prægresso: pollebat ideo majori vi assimilante [261.]; præterea non adeo tenuis erat, quia aquosa parte magis destituebatur 395. idcirco non ita insensibiliter dissiari poterat.

400. Quomodo stationarius hic cognoscetur? Facillime nota causa (391.), observato sta-

tio-

tionario prægresso [316.] Cognitis, effectibus [a 378. ad 390.]

401. Quæ prognosis? Si febris hæc est simplex, multum remittit [379.] ad indolem [409.] non valde accedit; curatur ut plurimum remediis [402.]

402. Quomodo curanda? Si habet conditiones (401.) victu tenui, quiete, & tepore in lecto, diaphoreticis acidis cito tollitur. Si vero præter (324.) multæ aliæ causæ ad gignendam hanc febrem concurrant; aut si de natura (409.) multum participat, tunc aut quæ in (414.), aut alia pro diversitate causæ adhibenda remedia.

403. Quinam Auctores de hac febre scripserunt melius? Ex doctissimis, & cedro dignis Clariss. Gorter, ad Hippocratem commentaris præcipue, ubi de anni temporibus agit, & ex Auctoris ejusdem Chirug. repurg. cap. de Erysipel., & hujus Febris origo (391.) & remedia (390.) hauriri possunt.

CAPUT XX.

Maligni morbi ejusdem anni.

404. Vidi etiam eo anno paucas aliquot Febres, quæ malignitatem quamdam conjunctam habebant. Signa tamen malignitatis (a 178. usque ad 189.) levia erant,

405. Aliquando his febribus conjungebatur atrocissimus dolor, qui mediastinum occupare videbatur; incipiebat enim a sterno, & extendebatur usque ad dorsum, illæsis thoracis lateribus.

406. Putavi illas ortas esse ex materie insensibilis perspirationis, quæ diu stagnans in corporibus (123.), malignitatem acquisiverat.

407. Curabantur facile (erant enim mitissimæ hæ febres in genere suo) decoctis Angelicæ, Zedoariæ, Virginianæ.

408. De his plura non affero; paucæ enim fuerunt, nec epidemici morbi nomen merebantur.

CAPUT XXI.

Febris putrida acuta non colliquativa ejusdem anni.

409. PUtrida hæc acuta febris quolibet anno sporadica esse solet, durante tamen ea constitutione frequentior fuit; non ita tamen, ut stationariæ nomen acquireret.

410. Erat evidenter de genere putridarum; habebat enim signa [133., 137., 139, 140., 143., 144., 145.]

411. Pleuritis sæpe illi conjungebatur; tunc autem plerumque lethalis.

412. Si sanguis educebatur, aliquando dis-

solutus, aliquando pleuritico similis apparebat:

413. Erat semper violenta, parum remittens aliquando tertio, aut 4.° die enecans.

414. Curabatur sedando (*a*) vitalem motum glifcentem nimis nitrofis acidis, victu levi acefcente; corrigendo febris caussam exficcantibus; ubi febris remittere, & aliquod crisis initium cernebatur (13. 14.) vires vitæ sustentando victu magis eupepto, & totum negotium naturæ relinquendo.

415. Motus illi critici (13: 14.) per sudorem fieri folebant: turbabatur tamen plerumque etiam leviter alvus.

416. Hi autem motus per 10. 12. aut plures dies durare solebant, antequam morbus omnino evanesceret.

417. Febres (15.) si aderant, non turbandæ.

418. Cur eo anno frequentior febris (409.) Liquet ex (324. 132. 1.°)

419. Cur pleuritis fæpe illi conjungebatur? Noscitur ex (272.)

420. Quando lethalis? cum aderant (18. 19.) effectus putredinis valde magni (410.)

421. Quando curari poterat? cum deerant (420.)

H 3 CA-

(a) *Ut plurimum in hac Febre vene sectio adhibenda est, nisi putredo summa, & humores quam maxime dissoluti.*

CAPUT XXII.

Putredo cronica ejusdem anni.

422. **C**Hronica etiam putredo, durante illa constitutione (378.) frequentior fuit.

423. Noscebatur facile ex signis (141. 134. 135. 137. 138. 139. 140. 144. 145.)

424. Colliquativæ excretiones (135.) plerumque per sudorem fieri solebant.

425. Hujus putredinis curatio petebatur ex (155.)

426. Cur eo anno frequentior (422.)? Liquet ex (132.)

427. Cur (424.)? fluidum, quod magis stagnabat, & alius magis pati debebat, erat materies insensibilis perspirationis. Hæc autem lymphaticos, & tenuiores humores corrumpendo (262.), & iisdem se se miscendo per cutis vascula tranabat.

428. Quæ prognosis? Si a sola aeris humiditate pendebat; remediis (155.) diu continuatis curabatur; si vero aliæ causæ (132.) conjungebantur, pro harum diversitate varia prognosis.

CAPUT XXIII.

Affectio scorbutica, quæ incæpit circa Decembris finem anni 1749. & duravit usque ad finem Martii anni 1752.

429. Anno 1749. a die decimo Octobris usque ad initium subsequentis anni spirarunt Septemtrionales frigidissimi venti, qui gelu asperum, & intempestivis nivibus horridum reddiderunt aerem.

430. Incæpit circa Decembris finem morbus, qui cachecticos, pingues, otiosos, morbis lentis obnoxios; fœminas autem hystericas, aut mensium suppressione laborantes plerumque occupabat.

431. Toto autem tempore, quo hæc constitutio duravit, si quis magnam quantitatem corticis peruviani assumebat, ab hoc morbo corripiebatur; quod tamen nullo alio tempore observare mihi contigit.

432. Aderant in hoc dolores vagi, qui lumbos, coxas, crura, aut ægrorum vitiosas partes, & offensis opportunas excruciabant.

433. Præterea lassitudo quædam, & sensus artuum quasi contusorum, aut defatigatorum mane præcipue evigilantes ægros vexabat.

434. Pulsus erant miræ anomali, inæquales fere semper intermittentes, sæpe, aliquando celeres, aliquando tardi.

435. Urinæ conturbatæ crassæ, & crassam pariter materiem matulæ adhærentem relinquentes, immo plerumque simile sedimentum deponentes.

436. Materies, quæ urinam turbabat, alba ut plurimum, & album pariter sedimentum; aliquando tamen lateri contrito simile.

437. Febris aut nulla, aut si aliqua, parva erat, inordinata, erratica cum pauco, aut nullo frigore incipiens, & raro in manifestam apyrexiam desinens.

438. Sudores nocturni, frigidiusculi, nihil juvantes, nec ita tamen ut in chronica patredine emaciantes (160.) frequentes.

439. Morbus pertinax, rebellis, præcipue in constitutionis principio, & hyberno tempore curatu difficilis.

440. Quo infirmioris temperamenti æger, quo laxiores fibræ, eo diuturnior morbus.

441. Signa ejusdem magis constantia, & essentialia, erant quæ [in 431. usque ad 440.] dicta sunt; cæterum plura alia gignebat aliquando symptomata.

442. Vix ulla erat corporis pars, quæ aliquibus in ægris non afficeretur; vix ulla functio, quæ aliquando non turbaretur.

443. Hæc tamen frequentiora erant; dyspnea, tumor ventriculi, abdominis, pedum jens, rediensque, hæmorrhææ variæ ex utero, naribus, alvo, gingivis; syncope; convulsio, nau-
sea,

fea; vomitus; diarrhæa; dysenteria; urinæ secretio impedita in renibus; mensium suppressio; sensus boli ex ventriculo in os ascendentis.

444. In fine hujus constitutionis febres aliquot duplices tertianas abhoc morbo natas vidi, quæ incipiebant ut [295.]: raro tamen in manifestam apyrexiam desinebant.

445. Purgantia, indicentia 4.° , aut 5.° quoque die repetita, & incidentium usus diebus intermediis valde juvabant.

CAPUT XXIV.

De hujus morbi essentia, & Causis.

446. Qui ea, quæ hactenus scripsimus, confert cum iis, quæ Clariss. Boerhaavius, & Eugalenus, aliique de scorbuto tradiderunt; videbit non ita ovum ovo simile esse, ut morbus, qui hic, describitur, morbo scorbuti titulo ab iisdem descripto.

447. Ut vero ejusdem causa intelligatur, considerandum est, quinam effectus a frigidissimis illis ventis, qui constitutionem hanc præcesserunt, fieri in nobis potuerint.

448. Frigus corrugat fibras, perspirationem minuit, humores cogit; forsitan etiam vasorum vitales oscillationes debiliores reddit.

449.

449. Ea autem fluida ab hac vi [448.] magis pati debebant, quæ minus mota, & idcirco minus calida, aerique magis exposita; ideſt lymphæ, materies perſpirabilis, aliaque ſimilia liquida in cutaneis vaſis contenta: Sanguis vero ruber, qui in majoribus vaſis continetur, velocius movetur, & calidior eſt, vix ab hac cauſa affici poterat.

450. Excrementitia autem liquida, quæ per cutem expelli ſolebant, a frigore repulſa, retenta in corpore, acria, & eidem inimica fieri neceſſe erat. Gorter Medicin. Hippoc. aphoriſ. par. 4.

451. Ergo humor morboſus vi frigoris genitus, craſſus, & acris eſſe debebat.

452. Si igitur in materie, quæ prædictam ſcorbuticam affectionem gignebat, craſſitiei, & acrimoniæ ſigna invenienus, a cauſa [448.] ortam eſſe non dubitabimus.

453. Hoc autem eſt omne illud, quod in liquido morbum hunc gignente cognoſcere potui.

454. Urina enim conſtantiſſime craſſa (435.): ſudor non emacians ut in putredine, non juvans ut in critica evacuatione (438.): morbi pertinacia (439.): diuturnitas temporis, quo hæc conſtitutio duravit: juvamen ab incidentibus (445.) craſſitiem hujus humoris (453.) evidentiſſime demonſtrarunt.

455. Neque obſcurioribus ſignis ejus acri-

mo-

monia se prodebat; cum nulla alia ab causa symptomatum (442., 443.) origo deduci queat.

456. Quænam erant hujus constitutionis signa? Cognitio causæ prægressæ (429.)

457. Notitia prægressi Epidemici, qui nullam in ægris dispositionem reliquit, quæ novi stationarii causa esse potuerit.

458. Phænomena præcipue (a 430. ad 440.) in pluribus eodem tempore apparentia.

459. Juvamen ab incidentibus.

460. Quæ prognosis? Morbus semper diuturnus, curatu difficilis.

461. Si methodus (445.) statim adhibebatur, si æger robusti erat temperamenti, si ante hanc constitutionem nullo alio infectus erat morbo, curabatur ut plurimum remediis (445.); difficulter vero, aut nullo modo curabatur, si hæ conditiones aberant.

462. Quomodo curandus? Alvus movenda purgantibus incidentibus, quæ tertio, 4.°, 5.° quoque die repetenda: diebus vero intermediis incidentia adhibenda.

463. Aliquando etiam solis incidentibus hunc morbum curavi, post quorum usum alvus turbabatur sponte (14. 24.)

464. Quo magis crassa, pinguia, humida, plena, robusta erant ægrorum corpora, eo frequentius purgantibus utendum: quo sicciora, graciliora, debiliora contra.

465.

res erant, febres vero (437.), & majores, & frequentiores: immo anno 1751. præcipue mense Maii veras inflammationes ex hoc morbo natas vidi.

472. Occupabant hę præcipue juvenes, plethoricos aliquando absque manifesta causa, aliquando post motum nimium, & susceptum inde frigus; aut reliquas generales inflammationum causas.

473. Judicavi ortas esse ex liquido [453.] ad majorem acrimoniam evecto, quia in pulsu aliqua inęqualitas semper aderat, urina crassa cernebatur; juvabant incidentia: immo sępe cessante inflammatoria febre, remanebant aliqua scorbuti symptomata.

474. Pleuritides plerumque excitabantur, quę tamen non summi erant periculi.

475. Curabantur dirigendo vitalem motum, ita, ut nec torperet nimis, nec nimis gliseeret (4.° 29.); exhibendo naturę apta instrumenta ad materiem morbosam citius subigendam.

476. Post horum usum alvus turbabatur (14.), & sudor prodibat (14.)

477. Febris (15.) aliquando excitabatur nunquam turbanda.

CA-

CAPUT XXVI.

Putredines non colliquativæ.

478. Durante hac constitutione, dum tempestas per multum temporis humida fuerat, febres acutę putridę aliquando cernebantur, quę vix dissimiles erant ab illis [409.]; nisi quod crassities aliqua fere semper in ęgrorum urinis cerneretur, & minus periculosę essent.

479. Curabantur methodo fere eadem [414.]

480. Si desinente febre putrida [478.] aliqua scorbuti symptomata remanerent, quod sępe eveniebat, hęc remediis (463.) tolli poterant.

CAPUT XXVII.

Putredo Chronica.

481. Morbus hic [446.] in ęgris temperamenti infirmioris, aut diuturnitate morbi fractis, pręcipue tempestate humida in chronicam (*a*) putredinem transibat.

482. Tunc vero sudores illi (438.) magis emaciabant, aut alia colliquativa excretio aderat,

(*a*) *Pręcipue in fine constitutionis.*

483. Urinę aliquid crassitiei retinebant, sed magis coloratę, & fuscę erant.

484. Signa denique hujus morbi (446.) conjuncta erant cum signis chronicę putredinis.

485. Ut hę autem putredines curarentur, roborantia antiscorbuticis miscenda.

486. Hęc tamen dosi valde parva exhibenda erant: cum enim balsamica aromatica in hoc morbo, aliquando exhibuissem ea dosi, qua ut plurimum uti soleo, eam ferre non potuerunt ęgri, & aliquid simile (159) supervenit.

C A P U T XXVIII.

Scorbutus Malignus.

487. VEtę malignę Febres cum signis (a 178. usque ad 189.) ęstivo tempore anni 1751. apparuerunt.

488. Has verò a scorbutico semine siderato originem suam duxisse judicavi 1.°, quia ortę sunt eo tempore, quo scorbuticum semen per 2. annos stagnaverat Confer (213.)

489. 2.° quia maligna materies has febres gignens expellebatur a natura per eas easdem vias, per quas (453.), nempe per alvum, & cutanea vasa.

490. 3.° Quia eo tempore, quo ortę sunt hę

hę febres constitutio (430.) adhuc durabat, immo iisdem desinentibus usque ad ver anni subsequentis adhuc durare perseveravit.

491. 4.° Quia nulla pręcessit causa manifesta, quę febres malignas novi generis posset gignere.

492. 5.° Quia hę febres (487.) jam a scorbuto fieri solent, ut alii observaverunt. Vide Boerhaav. cap. de hoc morbo.

493. Quęnam erunt harum febrium signa? Cognitio causę (488.), signa malignitatis (a 178. ad 189.) & quę dicta sunt [489. 490. 491.]

494. Quęnam prognosis? Hęc petitur (ex 291. 22.) & magnitudine signorum (a 178. ad 189.)

495. Quomodo curandę? Excitando vitalem motum vinosis, aromaticis, alexipharmacis; donec alvus solvi, aut sudor prodire (14) incipiat cum juvamine.

496. Horum usus continuandus, donec omnia morbi symptomata evanescant.

497. Criticę illę excretiones (495.) aliquando per 20, & plures dies continuare debebunt, antequam morbus omnino victus sit.

498. Febres (15.) semper salutares, nec unquam sedandę.

CA-

CAPUT XXIX.

Alia putreda colliquativa hujus scorbutici seminis.

499. Circa Octobris finem anni 1751. Febres aliquot violentissimæ apparuerunt, quæ quarto, aut quinto die adeo exacerbabantur, ut ægrum interficerent.

500. Erant evidenter putridæ colliquativæ; noscebantur enim ex signis 150.

501. Judicavi eas natas a semine scorbutico corrupto vi causæ [278.] Confer [704., 278.]

502. Vix curationem admittebant, nisi mites in suo genere: tunc vero acidis (2.° 3.) reduci debebat vitalis motus ad gradum (17. 29.) quo facto totum negotium naturæ relinquendum. De his plura non affero, quia paucæ fuerunt, & parum durarunt.

CAPUT XXX.

Observationes aliæ ad eamdem constitutionem spectantes.

503. Durante hac constitutione vix ullum vidi morbum, in quo etiam statio-narii hujus (446.) inditia aliqua non invenerim.

I 504.

504. Qui ante hanc constitutionem putredine chronica laboraverant, aut pure corrupto infecti fuerant, eadem durante, sed præcipue in ejusdem principio, melius se habuerunt.

505. In hoc morbo (446.) si ægri venæsectione, laxantibus, purgantibus nimis debilitabantur, hydrops oriebatur: ideſt frequentius, quam in aliis morbis.

506. In fine hujus constitutionis ægri debiliores aliquot, omnibus phænomenis (a 432. ad 443.) aut sponte evanescentibus, aut arte sublatis, absque ulla alia manifesta causa hydropici facti sunt, vel chronica putredine, aut viscositate oppressi.

507. Cur (504.)? Frigus humores cogit, a putredine eosdem servat: ergo frigus juvare illos (504.) debet, nisi infirmissimi sint; tunc enim nocere posset propter causam (98.)

508. Cur (506.)? Scorbuticum acre vitales vasorum oscillationes auxerat per duos integros annos cum dimidio: ablato autem hoc stimulo languidiora remanere debebant solida, & minus agentia (97.); hinc morbi (84. 87. 88. 89.)

509. Cur (505.)? Eamdem fere ob causam (508.)

510. Cur (486.)? In his ægris (481.) aliquid scorbutici stimuli [451. 453.] semper aderat; hinc si aromatica solita dosi adhibebantur (155.) fibræ duplici agitabantur stimulo,

lo, nempe [453.], & aromatico; nimius ergo motus excitabatur [159.]; unde effectus (159.)

CAPUT XXXI.

Variolæ.

511. AB initio Mensis Decembris anni 1751. usque ad Aprilis finem anni 1752. vehementer grassatæ sunt variolæ.

512. Incipiebat in his primo acuta febris cum horripulatione, nausea, aut vomitu, dolore capitis, gulæ, scrobiculi cordis, dorsi, aliquando etiam ventris, quod malum.

513. Febris hæc erat continua, inflammatoria, putrida, aut nihil remittens.

514. 2.° 3.° 4.° a febris initio die apparebant stigmata morbillis pulicum similia; crescebant dein pustulæ rubræ, inflammatæ: febris (512.) tunc fere cessabat. Si pustulæ magnæ elevatæ, rubræ, paucæ, distinctæ erant, circa 6. aut 7. ab eruptione diem pure plene apparebant: iisdem ruptis pus exibat; morbus cito, sponte evanescebat.

515. Si vero parvæ, confluentes erant, & totum fere corpus occupabant; tunc posita inter pustulas cutis tendebatur, rubebat, inflammabatur; perspiratio, & humorum motus per cutanea vasa impediebatur. Hinc triplici mo-

do in mortem transibat morbus: vel deficientibus vitæ viribus pustulæ exarescebant, diarrhæa liquidissima oriebatur, & inde mors.

516. Vel suffocato omnino per cutanea vascula liquidorum motu, gangrænæ indicia apparebant: idest nigredo pustularum, & cutis, liquor rubellus loco puris, fœtor horrendus. Hæc in iis, qui aut in hypocausto fovebantur, aut calidiori methodo tractabantur, frequentia erant.

517. Vel denique subtiliore puris parte in pustulis contenta avolante, reliqua crassa remanebat, pelliculæ pustularum deprimebantur; hinc cum vires vitæ nec ad rumpendas has pelliculas sufficerent, nec crassum pus resorberi, & per urinæ vias expurgari posset, ibidem stagnando putrescebat, tunc vero resorptum omnia corporis liquida inficiebat; inde varia, & infinita mala, quę ex cognata hac causa facile deduci queunt.

518. In sanitatem transibat, si valentibus satis vitæ viribus pelliculę pustularum rumperentur, pus exiret; vel quod plerumque fieri solebat, si idem pus a cutaneis vasculis resorberetur, & per urinę vias a naturæ expurgaretur.

519. Hęc autem excretio erat, ut in (14.) nam modo portio aliqua pustularum exarescebat, decidentibus furfuris specie pelliculis; post unum, aut alterum diem in alia pustularum

por-

portione idem eveniebat, & sic deinceps, donec omne pus expurgatum esset.

520. Fateor tamen, me nunquam pus sincerum in urina vidisse, ut aliquando in vesica, aut renum ulceribus observatur; tamen per hanc viam expulsum fuisse plures ob rationes credo.

522. 1.° Quia nullam aliam excretionem observare tunc mihi contigit: credi autem non potest pus, quod crassus adeo est humor, insensibiliter diffiari posse.

523. 2.° Quia eodem tempore urinam aliquando turbidam vidi.

524. 3.° Quia sæpe etiam in purulentis aliis morbis, ut Vomica, Empyemate per urinæ vias expellitur, nec tamen in urinæ sedimento cernitur.

CAPUT XXXII.

Peculiares observationes, ad hanc constitutionem spectantes.

528. Variolæ illius anni Tervisio huc appulerunt; deinde a nobis ad vicinas regiones migrarunt.

529. Grassatæ sunt eo tempore, quo affectio scorbutica desiit, & inceperunt morbi a cruditatibus pendentes.

530. Ea variolarum constitutio non habuit,

ut reliquę aliorum Epidemicorum Constitutiones, suum initium, incrementum, statum, & decrementum, sed eo, quo incepit vigore, ad finem usque duravit. Loquor de morbi violentia, non de Ægrorum multitudine.

531. Durante hac constitutione, unam, aut alteram febrem vidi similem illi [512.] cui tamen pustulę non successerunt: immo puella quędam, quę febre [512.] laboraverat dein eadem cessante per 15. aut viginti dies sana apparuit, post hos tamen eadem febre correpta fuit denuo, & tunc variolę prodierunt. Cęterum in reliquis, quos tunc curavi, morbis, sive chronici; sive acuti, nihil, quod variolosio morbo simile esset, observavi; sed semper aliquid sive de scorbutico, sive de illo, qui subsequente vere supervenit, participabant.

532. In Principio hujus constitutionis Ægri variolis oppressi, mingebant urinam crassam omnino similem [435. 436.]

533. Aliquando dolores scorbutici (432.) qui tollebantur remediis (445.), remanebant in iis Ægris, qui a variolis convaluerant.

534. In fine hujus variolosæ constitutionis die tertio, aut quarto a febris (512.) initio alvus plerumque turbabatur, ut (14.)

CA-

CAPUT XXXIII.

De Variolosarum Constitutionum diversitate.

535. Variolarum inoculatio docet evidentissime morbum hunc pendere a miasmate quodam venenato, quod vi magna assimilante (261.) pollens, humores hominis etiam sanissimi, sed hunc morbum nondum passi, in suam naturam invertit.

536. Plurimæ autem observationes, quas referre hic supervacaneum puto, idem probant.

537. Ad constitutiones ergo variolosas gignendas sufficiet, ut miasma illud alicubi hærens, aut ab hominibus eodem infectis, aut ab alia quacumque causa eo deferatur, ubi antea non aderat: variolas enim ibidem parere statim poterit.

538. Si autem miasma hoc deferatur eo, ubi stationarius alius antea dominabatur, tunc generales morbi a duabus caussis pendebunt; nempe & a miasmate illo, & ab eo morboso semine, quod priorem stationarium faciebat.

539. Fieri autem vix potest, ut comunes illæ causæ [276. 278. 279.] quocumque fere tempore, & quolibet in loco communem aliquem effectum non edant; & stationarium inde morbum.

540. Hinc vix fieri potest, ut grassantibus variolis alius quoque Epidemicus non dominetur.

541. Hoc autem est illud, quod observatio 531. docuit.

542. Epidemicorum vero a causis (276. 278. 279. pendentium femina omnes fere gerimus [278. 503.] Ergo hæc, & in plerisque eorum aderunt, qui variolofo miasmate inficiuntur.

543. Quemadmodum autem femina illa (267.) a calore, motu musculari nimio, ebrietate, aliisque similibus moventibus causis fœcunda sæpe, & activa redduntur; ita etiam a motu illo febrili (512.) a variolofo miasmate concitato, in actum deduci poterunt.

544. Et quemadmodum femina illa a motu majori aliquando dissipantur, coquuntur, & expelluntur [267.], ita a causa (512.) idem in variolis fieri poterit.

545. Hoc quoque observationes docent.

546. Cur enim adeo differunt inter se variolarum constitutiones? Sindenham. de Variolis pro varietate illorum feminum, quæ stationarium illum pariunt, qui eodem, quo Variolæ, tempore grassatur (540.), diversæ erunt variolarum constitutiones.

547. Cur in principio hujus constitutionis urinæ crassæ (532.) apparebant? Id certe non a variolofo miasmate urinis mixto, quod te-nuis-

nuissimum esse videtur, sed a crasso scorbuticæ affectionis fermento (453.) urinas inficiente pendebat.

548. Cur aliquando post variolas dolores scorbutici remanebant (533.)? Liquet ex (540. 543.)

549. Cur (534.)? In fine hujus constitutionis jam inceperat grassari morbus a cruditatibus pendens. Hic autem curabatur augendo vitalem motum. Nam hoc modo cruda acria obtundebantur, alvus turbabatur, & cruditates expellebantur; quia vero miasma variolosum vitalem motum augebat (513.): hinc necessario & cruditates coqui, & per alvum (534.) expelli debebant. Confer (587.)

550. An febris illa, quam variolosam appellat Sindenhamius a miasmate variolas gignente vere pendebat? Non videtur.

551. 1.° Quia hæc febris hyeme grassabatur maxime, quo tempore minuebantur variolæ.

552. 2.° Quia a materie hanc febrem gignente diarrhæa, & dysenteria nascebantur, absque ullo variolis proprio symptomate. Id autem a miasmate varioloso effici posse credibile non est.

553. 3.° Quia Febris a miasmate illo solida irritante pendens aut cessat [514.], aut valde minuitur 4.° aut 5.° die, cum pustulis tecta cutis apparet, ut Sindenhamius ipse, & aliis omnes, qui de variolis scripserunt, observa-

ve-

vere: illa vero, quam variolosam Sindenhamius dicit, aliquando ad plures hebdomadas protrahebatur.

554. 4.° Quia in aliis variolarum constitutionibus, quas postea idem Sindenhamius observavit, similem febrem non vidit, uti debuisset, si a causa [550.] nata esset.

555. 5.° Quia hujus Febris signa, idest sudores illi colliquativi, diarrhæa, & reliqua ab ipso descripta, non sunt constantia omnium variolarum symptomata.

556. 6.° Quia erat febris putrida, acuta, colliquativa: habebat enim omnia signa [150.], & tollebatur remediis antisepticis refrigerantibus. Vide ejus Histor. cap. 3. sec. 3.

557. Cur ergo & in copiosissimis sudoribus, & in urinarum consistentia, & in salivatione, & in curativis indicationibus conveniebant adeo, & febris [550.], & variolæ, quæ eadem febre durante, grassatæ sunt? Liquet ex (540. 542. 543. 538.)

558. Cur eo tempore, quo variolæ regnaverant, semper etiam alius epidemicus dominatus est? Sindenham. Patet ex [540. 539.)

559. Cur pustulæ variolosæ in secunda, & tertia constitutione a Sinhenhamio observata vix distinguebantur a morbillis, qui tunc regnabant? Ex (538. 543.)

560. Cur minuta vi, & ferocia morbillorum, etiam constitutio illa variolosa vim suam ami-

amiserat; recrudescentibus morbillis feritatem suam recuperaverat? Sindenham. pag. 43. Eadem responsio [559.]

561. Cur in eadem constitutione variolosa a regimine calido adeo facile gangrænæ indicia nascebantur? Sindenham. Idem in morbillis eodem tempore regnantibus eveniebat. Confer (538.)

562. Cur in tertia variolarum constitutione spiritus vitrioli adeo valebat, cujus magna etiam erat efficacia in illa febre quæ eo tempore dominabatur? Sindenham. Ex [538.]

563. Cur in omnibus variolarum constitutionibus alii discretis, confluentibus alii corripiuntur variolis? Id a vario ægrorum temperamento pendere videtur.

564. Quomodo noscebantur variolæ? Cognita illarum constitutione, & phænomenis earumdem in ægro observatis. Vide earum Historiam.

565. Quæ illarum prognosis? In discretis periculum nullum erat [514.]

566. In confluentibus vero si multæ, parvæ erant, citò apparentes, a violenta febre (513.) excitatæ, faciem, os, linguam, fauces valde occupantes, si [515., 516., 517.] aderant periculosissimæ, & sæpe lethales. Contra vero, si hæc aberant.

567. Quomodo curandæ? ut reliquæ inflammationes; nempe vitalem motum, ita tempe-ran-

tando, ut nec torperet nimis, nec nimis gliſceret: idcirco in ſtatu [513.], ſi æger erat robuſti, & ſanguinei temperamenti, ſi febris (513.) violenta, venæ ſectione, laxantibus, demulcentibus, nitroſis, victu levi retundendus erat circulationis impetus. Si vero æger erat puer; febris [513.] parva; tunc vires vitæ ſuſtinendæ cibo magis eupepto; & ſi hæ nimis languebant etiam cardiacis excitandæ.

568. In ſtatu [514.] Si variolæ erant diſcretæ, tunc quiete, moderato lecti tepore curabantur.

569. Si vero valde confluebant; & ex cauſa (515.) nova febris, & inflammatio magna oriebatur, iiſdem [567.] utendum, donec ſuppuratæ eſſent: tunc vero diureticis blandis antiſepticis promovenda puris excretio (518.); vires vitæ ſuſtinendæ cibo magis eupepto: aliquando & cardiacis.

570. Si deficientibus vitæ viribus timebamus [515.]: Cauſæ [575.] tollendæ, victu cardiaco utendum.

571. Si vero aderat [516.], nulla medela.

572. Si denique ſtatus (517.) apparebat, tunc pelliculæ puſtularum incidi poterant, craſſum pus abſtergi, cutem autem ſubjectam calidis, & penetrantibus fomentis ſtimulare debebamus, ſanguinem a puris infectione munire antiſepticis, vires vitæ ſuſtinere cibo eupepto.

573. Conſtitutio hæc [511.] non valde peri-

periculosa fuit: cum enim variolosus morbus sit quædam inflammatio; semen vero Epidemici eodem tempore regnantis esset humor crudus vitalem motum minuens; hinc febris illa [512.] facilius temperari poterat.

574. An damnosa erat diarrhæa [534.]? Minime: expurgabat enim cruditates (587.) semper ergo permittenda.

575. Quanam ex causa (515.)? frigus, ætas puerilis, cruditates nimiæ, aut vermes ventriculum irritantes id inducebant.

576. An in variolarum curatione impediri debet suppuratio? Vide Boerhaavium cap. de Variolis. Variolarum suppuratio est illa excretio, qua utitur natura ad miasma illud (535.) fibras irritans, & febrem concitans expellendum. Quemadmodum sudor, diarrhæa, aut reliquæ criticæ excretiones acrem [a] illam materiam expurgant, quæ alias inflammatione concitat. Cur ergo impedienda?

C A P U T XXXIV.

Morbi a cruditatibus pendentes.

577. ANno 1752. circa finem Februarii jam phænomena scorbuticæ affectionis

(a) *An hæc materies ulla arte humoribus nostris similis reddi potest? Id a medico fieri posse haud credo,*

ctionis fere evanuerant; anomaliæ illæ (434.) in pulsibus non sentiebantur amplius; dolores vagi (432.) vix aderant: urinæ tamen, quæ materiem lateri contrito similem adhuc continebant; & juvamen aliquod ab incidentibus non omnino extinctam constitutionem [446.] ostendebant.

578. Tempestas tunc valde humida esse cœpit, & talis toto illo vere perseveravit.

579. Circa Aprilis initium novus stationarius caput extulit cum his phænomenis.

580. Dolores stomaci, ventris, lumborum, sæpe etiam juncturarum ægros vexabant.

581. Hi (580.) non adeo vagi erant, ut (432.); & quamvis abirent, & recurrerent, in easdem tamen partes (580.) denuo redibant.

582. Pulsus parvi plerumque, & inordinati, non adeo tamen ut illi (434.) in tempore, aut pulsationis vi inæquales.

583. Urinæ rubræ, fuscæ.

584. Alvus nunc soluta, nunc tarda nimis.

585. Colliquatio aliqua aderat, ideft sudor nimius, aut salivatio, vel diarrhæa.

586. Morbus sine ordine exacerbabatur.

587. Febris vixaderat; si aliquando autem superveniebat post 15. horas circiter cessabat; post unum, aut alterum diem iterum redibat: alvus tunc turbabatur cum juvamine, & morbus evanescebat.

588.

588. Hæc erant præcipua hujus morbi Symptomata, quæ in omnibus fere ægris aderant; cæterum & hæc, quæ sequuntur, non infrequentia erant; mensium suppressiones, aut profluvia, picæ, fames nimiæ, pruritus universæ cutis, convulsiones, ischuriæ, & plurima alia his similia. Morbus autem hic ad tympanitidem, & marasmum tendebat, si male tractaretur.

589. Fœminas, aut debilioris temperamenti viros, plethoricos, helluones præcipue occupabat, & eosdem vehementius, ac diutius vexabat.

CAPUT XXXV.

De hujus morbi causa.

590. ACre scorbuticum, musculosas vasorum, oscillationes auxisse notavimus supra (508.)

591. Definente autem scorbutica affectione (446.), & ablato hoc stimulo (590.) adeo debiles ægros aliquos remansisse, ut inde viscositas, chronica putredo, hydrops nata sit, pariter vidimus (506.)

592. Omnes autem fere homines sub hoc Cœlo viventes eo tempore a scorbuticæ affectionis semine (503.) infecti fuerunt; ergo omnes fere, ablato hoc stimulo (453.), aliquan-

quantum infirmiores remanere debuerunt.

593. Cum vero tunc aer valde humidus fuerit (578.), qui & solida laxat, & humores ad putredinem disponit; hinc duplici ex causa morbi, qui ob defectum virium nasci solent, oriri debebant: idest cruditas, & putredo (87. 89.)

594. Qui autem ea, quæ capitulo VIII., & ea, quæ capitulo X. tradidimus cum hujus morbi historia confert, omnium phænomenorum a (580. ad 589.) originem inveniet.

595. Cur enim infirmiores frequentius, diutius, & vehementius ab hoc morbo (579.) affligebantur? Liquet notis causis, ex quibus putredo, & cruditas nascitur.

596. Cur plethorici? Patet ex (595.) Plethora enim molem movendorum auget, & fibras distrahit; hinc duplici ex causa motum vitalem minorem reddit.

597. Cur Helluones? Ex (1.° 233.)

598. Cur ad tympanitidem, & marasmum tendebat, si diluentibus, laxantibus tractaretur morbus? Noscitur ex (160.)

599. Cur Febris (587.)? Patet ex (254.

600. Cur alvus turbata (587.) juvabat? ex 254.)

601. Cur Symptomata (588.) huic morbo jungebantur aliquando? Hæc a crudis acribus liquidis nasci Auctorum plerique observaverunt,

602.

602. Quomodo noscebatur hæc epidemica constitutio [579.]? Cognitis ejusdem causis [578., 592., 279.] Notis ejusdem effectibus [a 580. ad 589.]

604. Quæ hujus morbi prognosis? Si cruditas, & putredo (593.) a causis (578., 592.) solummodo oriebantur; tunc methodo (608. 609.) plerumque curabantur.

607. Si vero præter generales illas [578. 592.] etiam peculiares aliquæ (233.) in ægris aderant causæ, (quod sæpe eveniebat,) tunc pro illarum diversitate prognosis varia.

607. Quomodo curabatur?

608. Si alvus tarda erat [584.], vel cruditates multæ stomachum, & intestina gravabant; tunc aloeticis alvus lubrica servanda, victu levissimo subalkalico humoribus nostris fere simili utendum.

609. Dein vitalis motus stimulante quodam aromatico augendus, donec alvus solveretur sponte (14. 24.), & morbi symptomata omnia evanescerent.

610. Si vero alvus soluta erat, tunc victus tenuis, & remedia sola [609.] adhibenda.

611. Febres [587.] si aderant, non turbandæ, nec remedia [609.] adhibenda, sed totum negotium naturæ relinquendum.

612. Ut morbus hic curaretur recte, quæ capitibus de putredine, & cruditatibus tradita fuerunt, ante oculos semper habenda.

K CA-

CAPUT XXXVI.

De Febribus quibusdam Mesentericis, quæ a mala huic morbo medendi methodo oriri solent.

613. Quæ a mala medendi methodo oriuntur symptomata, notari vix possunt, cum plurimi, & diversissimi esse queant errores.

614. Has tamen Febres, quia frequenter nimis post diluentium, nitratorum, antiphlogisticorum in hoc morbo [579.] abusum, nascuntur, describere hic volui.

615. Febres hæ sunt de genere remittentium; incipiunt cum pauco, aut nullo frigore; plerumque vespertino tempore recrudescunt.

616. Delirium, comatosi affectus, subsultus tendinum his conjunguntur: delirium est fere semper sine furore.

617. Alvus aut nihil, aut materiem nigram, fœtidam egerit.

618. Si ægrorum Abdomen premitur, excitantur illi, queruntur, & sæpe etiam toti convelluntur. Dum morbus est in gradu, qui hic describitur, moriuntur fere omnes.

619. Noscitur ex causis (614.), & effectibus a (615. ad 618.)

620.

620. Dum febres hæ jam natæ sunt, & habent symptomata a (*615.* ad *618.*) conjuncta, remediis, quibus fidam, curare adhuc ignoro; ideirco nihil hic proponere audeo.

621. Hæ tamen impedientur semper, si methodus (*608. 609.*) adhibebitur.

622. Ubi morbus (*579.*) diuturnus est, signa acrimoniæ aromaticæ ante oculos habenda. Vide Boerrhav. paragr. *762.* institut. medic. si remedia *609.* per multum temporis adhibentur; his enim signis apparentibus eadem remedia statim omittenda.

C A P U T XXXVII.

Febres intermittentes, quæ circa finem veris grassari inceperunt.

623. Circa Veris finem aer magis siccari & calere cæpit, morbus (*579*) sensim immutari.

624. Exacerbationes (*586.*) ejusdem magis ordinatæ erant, & cum aliquo frigore fiebant.

625. Urinæ non adeo fuscæ (*583.*)

626. Pulsus majores (*582.*)

627. Roborantia, & balsamica parum, aut nihil valebant (*609.*)

628. Dolores tamen easdem partes occupabant [*580.*]

629. Cum circa æstatis initium Febres ter-

tianæ, & duplices tertianæ intermittentes apparuerunt, & mensibus Junii, Julii, Augusti frequentissimæ fuerunt.

630. Incipiebant ut reliquæ similes febres cum oscitatione, pandiculatione, horrore, frigore, tremore, quibus calor superveniebat, deinde sudor, & apyrexia.

631. Urinæ in robustioribus erant sanis similes, aut illis magis rubræ; in debilioribus crassæ, albæ.

632. Si peruviano cortice abigebantur, ut plurimum redibant.

633. Dolores (580.) frequenter his febribus jungebantur; immo hi etiam dolores absque ulla febre frequentes tunc fuerunt; ægri his doloribus vexati urinam crassam albam mingebant, aut saltem cum crasso albo sedimento.

634. Eamdem vero urinam (633.) in omnibus fere, quos tunc curare mihi contigit, morbis observavi.

635. Si incidentia, stimulantia in Febribus (630.) adhibebantur, alvus turbabatur (14.) & sudor prodibat 6.° aut 7.° die; febres (630.) vero evanescebant.

636. Eadem remedia in chronicis omnibus, in quibus illa urinæ crassities (633.) apparebat, valebant, & alvus eodem modo ab horum usu turbabatur: intervalla autem inter unam, & alteram excretionem (14. 24.) erant semper longiora, quo infirmiores ægri.

637.

637. Immo intermittentes illas comitabatur tribus illis mensibus febris quædam continua, quæ hyeme subsequente frequentissima fuit, in qua eadem in urinis crassities (633.) apparebat.

638. Si autem in hac febre remedia [635.] adhibebantur [dummodo vitalis motus nimis non gliceret; tunc enim sedantibus ad gradum [17.] reducendus erat] superveniebant quæ in [635.]

639. Aliquando intermittentes illæ [630.] in hanc mutabantur, & viceversa.

CAPUT XXXVIII.

De hujus Constitutionis Causa.

640. Languor ille in fibris a scorbutica affectione relictus (592.) sensim evanescere, & solidæ partes vires suas recuperare in dies debebant. Confer [120.]

641. Putredinis igitur Symptomata [585. 582. 586. 535.] ab eo languore orta cessare debebant; cum etiam aer tunc siccior [623.] humores magis a putredine servaret.

642. Aeris enim calor, quamvis liquida, ad putredinem disponat, tamen sæpe alia ex causa in chronica putredine fortasse juvat: nempe quia vitalis principii vim auget.

643. Non idcirco tamen cruditatis effectus (580. 581.) evanescere debebant, quia morbosus hic succus (121) validas vitæ vires requi-

rit, ut immutetur, & expurgetur. Vide Vanſviet. de Acrim. acid.

644. Crudus ergo hic humor diu retentus, in tenuviora vaſa ſenſim penetrans, illorum oſcillationes debilitans (240.) liquidorum ibi contentorum motum, & excretionem minuit, eademque (*a*) craſſa facile reddit.

645. Hunc tamen effectum numquam ex cauſa (*644.*) prævidiſſem a priori; niſi obſervatio ipſa jam natum a poſteriori demonſtraſſet.

646. Craſſities enim illa (*633.*) in urinis ægrorum tam conſtanter obſervata, & juvamen ab incidentibus, craſſum revera fuiſſe ſuccum illum, qui morbos (*634. 637.*) gignebat, aperte oſtendebant.

647. Hanc vero morboſi liquidi craſſitiem a cauſa (*644.*) ortam fuiſſe, multa ſunt, quæ mihi perſuadent.

648. 1.° Hæc conſtitutio orta eſt eo tempore, quo morbi a cruditatibus pendentes adhuc vigebant.

649. 2.° Nulla præceſſit cognita cauſa, quæ cruditates illas extinguere, & novum morbi ſemen generare poſſet.

650. 3.° Aliquot ægri circa veris finem gravari cæperunt morbo, cum ſignis ſtationarii prægreſſi, qui ſenſim mutatus eſt in morbum cum

(*a*) *vaſorum enim oſcillatio humores attenuat.*

cum phænomenis hujus Epidemici, & qui medelam (635.) requirebat.

651. 4.° Indoles illius succi, qui priorem constitutionem faciebat, non videbatur multum differre ab indole illius morbosi humoris, qui constitutionem hanc gignebat, ut constat ex (636. 635. 633.)

652. 5.° Denique ea, quæ constitutionem hanc secuta sunt, evidenter quod propositi in (647.) demonstrarunt.

653. Quomodo noscebatur hæc constitutio? Cognita priore (579.) cognitis hujus causis (644.) denique phænomenis a (630. ad 639.)

654. Quæ erat in hac constitutione prognosis? Morbi hi in ægris temperamenti satis validi ut plurimum abigi poterant remediis (635.)

655. Quommodo curabantur chronici?

656. In his remedia incidentia adhibenda erant, donec supervenirent criticæ excretiones (635.) & morbi symptomata evanescerent.

657. Tertianæ febres eadem methodo curabantur, exhibendo remedia (635.) tempore Apyrexiæ.

658. In continua autem illa (637.) & tertianis duplicibus omnibus; si violentæ erant; si Apyrexiæ tempus brevissimum; si validum ægri temperamentum regula quarta (29.) observanda; remisso autem vitalis motus impetu eadem remedia incidentia adhibenda.

659. Liquet autem ex his, quæ hactenus

K 4 dixi-

diximus, quod materies horum morborum, quamvis crassa esset, & acris; tamen quemadmodum in origine, & causis, ita etiam in effectibus ab illa (453.) valde differebat.

C A P U T XXXIX.

Putredines colliquativæ ejusdem materiæ.

660. TEmpestas in Julii mensis initio humida esse cœpit, & talis per multum temporis duravit. Circa finem Augusti morbi putridi apparuerunt; acuti alii, chronici alii.

661. Noscebantur facile ex signis putredinis. Vide cap. de Putredin.

662. Judicavi autem putredines has fuisse crassi illius humoris (644.) qui morbos (637. 623.) fecerat.

1.° Quia ortæ sunt eo tempore, quo prior constitutio adhuc vigebat.

2.° Quia illorum exacerbationes erant cum majori horrore, frigore, & magis regulares, quam in aliis putridis morbis esse soleant.

3.° Quia sæpe crassities aliqua (633.) in urinis ægrorum iisdem decumbentium cernebatur

4.° Quia specifica (635.) antisepticis mixta hos morbos curabant.

5.° Quia post horum usum alvus turbabatur, ut (635.)

663.

663. Quomodo noscebatur hæc constitutio? Cognita prægressa; putredinis causa (660.) & effectibus (661. 662.)

664. Quæ prognosis? Hæc pendebat ex prognosi putridorum morborum. Acutæ tamen putredines illius autumni non adeo violentæ & periculosæ erant, ut aliorum humorum putredines. Ratio videtur esse, quia crassus ille humor (644.) a putredine liquatus, quamvis vitalem motum valde augeret (133.) tamen quia cruditas (644.) illi conjuncta erat, quæ eumdem motum minuit, idcirco in acutis ad gradum (17.) facile reducebatur.

665. Quomodo curabantur morbi (660.)

666. In acutis vitalem motum reducebam ad gradum (17.) sedantibus: Dein ubi languere incipiebat, specifica (635.) antisepticis mixta adhibebam; donec crisis succederet, & salus.

667. In Chronicis statim iisdem (666.) utebar, ommissis sedantibus.

668. Cum in horum morborum principio corticem peruvianum solita dosi adhibuissem, effectus (159.) inde natos vidi; idcirco eodem usus sum præcipue in debilioribus, ut in formula (2.ª 666.) præscribitur & hoc modo utilis fuit.

669. Diarrhæas colliquativas, dysenterias, sanguinis fluxus, & plurima alia symptomata abhac causa (662.) pendentia methodo (666. 667.) curavi.

CAPUT XL.

Maligni morbi ejusdem temporis.

670. EOdem tempore (660.) petechiales malignę febres etiam apparuerunt cum signis (a 178. ad 189.) quę quamvis hic valde epidemicę non fuerint, tamen in pago non multum hinc distante frequentissimę fuerunt.

671. Pendebant a materie (644.) quasi siderata. Argumenta autem id probantia sunt.

1.um Quia hę febres (670.) ortę sunt, vigentibus adhuc morbis (660. 630.)

2.um Quia sępe recurrebant per paroxismos, ut febres (630.): numquam tamen omnino intermittebant.

3.um Quia urinę ęgrorum his malignis febribus laborantium rubrę erant, & fuscę, at materiam crassam illi (633.) omnino similem deponebant, aut ab eadem materie turbabantur. Quo tamen malignior erat febris, eo minus hujus materiei apparebat.

4.um Quia febres intermittentes (630.) si statim methodo (632. 635.) non abigebantur, in has aliquando mutabantur, & viceversa.

5.um Quia methodo (635.) curari poterant.

6.um Quia eadem (crisis 635.) superveniebat; siempe alvus turbata, & sudor.

672. Quęnam harum Febrium causa? Aer hum-

humidus fibras laxans; unde humoris (644.) stagnatio.

673. Quomodo noscebantur? Cognita constitutione pregressa: nota causa (660., 672.): & effectibus (670. 671.):

674. Quę prognosis? Hęc pendebat a magnitudine malignitatis.

675. Quomodo curabantur? Excitando vitalem motum specificis (635.), quę etiam alexipharmaca sunt: paroxismos (2.um 671.) sopiendo peruviano cortice.

676. Hęc autem tamdiu adhiberi debebant, quamdiu crisis (635.) superveniret, & omnia morbi symptomata evanescerent.

CAPUT XLI.

De Corticis Peruviani usu, & vi.

677. Cortex peruvianus omnes intermittentes febres dum simplices sunt, certo, cito fugat.

678. Multos alios morbos, qui veniunt per paroxismos, tollit. Vide Hallen. Vanviesthen, Gorterum, & alios, qui id observaverunt.

679. Intermittentes vero Febres ex diversissimis morbosis succis pendere possunt, ut liquet (ex 644., 444., 294.). Immo sepe easdem ex pravis illis humoribus natas vidi, qui sporadicos faciunt morbos.

680.

680. Pauca tamen horum succorum (679.) copia ad has febres gignendas sufficit; cum in ęgris pręcipue validioris temperamenti vix excrementa inficiant (631.); aut alio manifesto signo se se prodant.

681. Adest tamen in his liquidis (680.) vis magna ad novum paroxismum excitandum.

682. Ex his autem videntur evidentissime deduci posse corollaria, quę sequuntur.

683. Cortex peruvianus vim illam assimilantem fermentativam (681.) quę paroxismum facit ex morbosis succis tollit.

682. Hos vero succos (683.) (nisi aliquando per accidens) non pręparat, aut ab ęgroto corpore expellit.

1.° Quia vix fieri posse videtnr, ut unum idemque remedium ad succos tam diversos subigendos aptum sit instrumentum.

2.° Quia peruvianus cortex in iis morbis, qui ab iisdem pravis succis (679.) pendent, nihil valet, nisi recurrant per paroxismos.

3.° Quia febres peruviano cortice depulsę sępius revertuntur, quam si aliis remediis abigantur. In ęgris validi, firmique temperamenti, si peruviano cortice vis illa (681.) extinguitur, & febris evanescit; tunc recuperatis viribus morbosum illud semen, quod in pauca est copia (680.) a natura sponte pręparatur, & dissipatur; pręcipue si in rerum non naturalium usu recte se se contineant ęgri, & diu

corti-

corticem assumant, ut potentia illa assimilans (681.) tamdiu extincta maneat, quamdiu jam a naturæ viribus victum, & dissipatum sit morbosum semen.

685. Habet præterea peruvianus cortex vim calidam, roborantem, adstringentem, quæ cognoscitur ex ejus amarore, & usu in chronicis morbis, stomaci languore, cachexia, & similibus.

686. Quoniam vero hac vi motum vitalem auget; hinc nocebit in acutis inflammatoriis.

687. Assumptus tamen solita dosi (632.) in putredine chronica (668.) effectus gignebat (668.) propter causam (686.)

688. In morbis quoque organicis, purulentis, obstructionibus nocere docuit experientia. Vide Boerhaav. cap. de Febre intermitt.

689. An juvat in malignis febribus peruvianus cortex? In illis, quæ per paroxismos veniunt, juvat certe. Paroxismum enim tollit. An vero aliquando juvet propter causam (686.)? Ignoro. Fieri id potest, sed sola experientia determinari debet, quibus in malignis profit: nam vide (226.)

690. An utilis in gangrena esse potest idem Cortex? Quoniam maligni & gangrenosi mor. bi camdem habent naturam, ut vidimus capde malignitate; hinc in morbis gangrenosis juvare aliquando poterit propter causas (689.) An decoctum Corticis peruviani intermitten-

tes

tes febres fugare poteſt in pueris, ſi per clyſmata injiciatur? Utique. Gravidę cuidam mulieri clyſma ex oleo amygdalarum dulcium injectum fuit. Alvus ab hoc clyſmate ne mota quidem; ſed poſt aliquot horas cum minxiſſet hęc mulier, idem oleum in urinę ſuperficie apparuit. Liquet ergo vias exiſtere, per quas ex craſſis inteſtinis in ſanguinem penetrare poſſunt remedia.

691. Circa finem Autumni aer ſiccari cępit, & talis tota fere illa hyeme ſubſequente perſeveravit. Putridi (*660.*), & maligni morbi (*670.*) evanuerunt; febres (*629. 637.*) quoque rariſſimę erant: ęgri omnes, quos tunc curavi, non adeo craſſam mingebant urinam: methodus (*635.*) non multum juvabat: morbi ad indolem cruditatum (*580.*) magis accedebant.

692. Nondum tamen omnia craſſitiei ſigna (*633.*, *635.*) evanuerant.

693. Frequentes tunc fuerunt febriculę leves continuę cum pulſu parvo, horripulatione aſſidua, anxietate circa thoracem.

694. Hę vix ullius erant periculi; curabantur faciliime victu levi, quiete, diluentibus.

695. Harum originem deduxi ex aeris ſiccitate aquoſam humorum partem nimis abſumente, & craſſiora, ac cruda liquida (*644. 692.*) in tenuviora cutis, ac pulmonis vaſa attrahente.

696.

696. Circa Novembris dimidium frigus cœpit; ficcitas autem aeris tota illa hyeme perseveravit.

697. Febris illa (637.) frequentissima tunc fuit, aliquanto tamen acutior; immo crassities illa (633.) in urinis ægrorum, quos tunc curavi, denuo apparuit: & remedia (635.) eosdem juvarunt.

698. Febris (697.) aliquando cum dolore laterum Thoracis pleuritidem æmulante jungebatur.

699. Crassities ergo illa (644.), quæ nondum in humoribus extincta erat (692.), aucta fuit a frigore (696.): ab aeris autem ficcitate diluens aquosa materiei morbosæ pars consumpta fuit; hinc eadem acrior.

700. Morbi omnes (697. 698.) curabantur reducendo vitalem motum ad gradum (17.) venæ sectione, & demulcentibus 94.; ubi vero languere incipiebat excitando eumdem specificis (635.): diluentia tamen magna semper copia exhibenda, ut aquosa pars a ficcitate consumpta restitueretur.

701. Collata hac costitutione cum affectione scorbutica liquet eamdem causam (696.) diversos in humoribus nostris effectus edere (699.; 451.), si vario modo dispositi sint.

C A-

CAPUT XLII.

Alia colliquativa putredo ejusdem crassæ Materiei.

702. CIrca Januarii finem anno 1753. morbi putridi denuo apparuerunt illis (660.) valde similes.

703. Differebant tamen in multis, nam primo.

1.° Colliquationes (135.) non adeo magnę erant.

2.° Pulsus, & in chronica, & in acuta putredine minores.

3.° Magis periculosi erant, q.^{m} (660.)

4.° Anxietas quędam, & sensus repletionis circa pręcordia frequenter his morbis jungebantur.

5.° Exacerbationes violentissimę 4.° aut 5.° morbi die fieri solebant ęgrum sępe interficientes.

6.° Pleuritis quoque, & spirandi difficultas frequentia erant harum putredinum, dum acutę, symptomata.

704. Quęnam morborum (702.) causa? Stagnatio crassę materiei ab ęstatis initio, usque ad mensem Januarii anni subsequentis. Confer (501. 278.)

705. Cur colliquativę excretiones non adeo magnæ erant (1.° 703.) ut in morbis (660.)? illę pendebant a putredine inducta ab aeris humidi-

miditate; hi vero a simplici stagnatione (704.) Prçterea aeris siccitas prçgressa, & quç tota illa hyeme duravit, aquosam humorum partem absumendo, eas excretiones necessario minores reddere debebat.

706. Cur pulsus minores (2. 703.)? Hos (a) pulsus post diuturnam siccitatem observavi. Confer (693. 809.)

707. Cur magis periculosi erant morbi (702.), quam (660.)? Putredo a stagnatione inducta semper pejor, quam quç ab aeris humiditate. Vide (501. 502.) Prçterea jam morbi ad indolem illius, qui omnium a me observatorum pessimus fuit, accedere incipiebant.

708. Cur anxietas, spirandi difficultas, pleuritis (4.° 6.° 703.) erant frequentia harum putredinum symptomata? Vide (271., 272., 693., 811., 812.)

709. A quanam causa sensus ille repletionis (4.° 703.)? Si putredines hç diu durabant, nascebantur sçpe tumores quidam flatulenti in abdomine, qui incipiebant a cordis scrobiculo, & extendebantur usque infra umbilicum, & referebant evidenter omentum inflatum. Cognovi ideo esse proprietatem hujus putredinis has partes frequenter occupare. Ab hac autem causa fortasse sensus ille repletionis pendebat.

[a] *Durantibus iis constitutionibus quarum semina morbosa de acido aliquid participabant.*

710. Cur (5.° 703.)? Hæ violentissimæ exacerbationes in periculosissimis putridis morbis non infrequenter observantur. Confer (499. 797.)

711. Quomodo noscentur? Cognitis causis (704., 696.), & effectibus (703., 150., 152.)

712. Quæ prognosis? Periculosissimæ erant hæ putredines. Vide (707.)

713. Quomodo curandæ? Harum putredinum medela parum differebat a (666.)

714. Notandum est malignum illam humorem (736.), qui morbum (716.) fecit, quamvis hic Coneglani solummodo circa Martii initium extricatus fuerit (734.), & vigorem suum acquisiverit; tamen in Pagis huic Urbi vicinis citius venenatam suam vim adeptum esse: idcirco horum morborum (702., & 717.) signa ante oculos semper habenda, & si putredines (702.) multum de indole morbi (717.) participare videntur, remedia (729.) adhibenda.

715. Notari etiam præterea debet, quod in cura morborum (702.) præter specifica (713.) etiam diluentia necessaria erant propter aeris siccitatem.

CAPUT XLIII.

Cruditas Maligna.

716. AGgrediamur nunc descriptionem Epidemicæ Constitutionis, omnium, quas

quas observare mihi contigit hactenus, pessimæ, & diuturnissimæ, quæ a vere anni 1753. usque ad finem autumni anni 1756. duravit.

717. Morbus hic adeo violentus erat, ut aliquando intra 12. horas ægrum enecaverit. vicinos vero Pagos ita depopulatus est, ut rusticos viros summo terrore repleverit, cum sæpe in eadem domo 4., 5., aut 6. ægri reperirentur, & fere omnes perirent.

718. Prior constitutio nondum extincta erat; Elanguerat tamen valde; colliquationis 1.° 703. signa vix aderant, urinæ nihil crassi deponebant: methodus (713.) nihil valebat. Immo cum juvenem quemdam annorum 20. chronica putredine 702. laborantem solita methodo (713.) curarem, repente quasi fatali Jovis fulmine ictus periit; cujus tamen mortis nulla neque in pulsu, neque respiratione præextiterant indicia.

719. De die vero in diem methodum eamdem omnibus, in quibus illam adhibebam, ægris nocere evidentissime didici; quamvis aliqua adessent signa putredinum (702.)

720. Circa Februarii finem frequentissimi fuerunt tumores glandularum colli in pueris, & adolescentibus omnino similes illis, qui achores comitari solent.

721. Hi vero tumores nullius periculi plerumq. erant, & sponte absque ullo remedio evanescebant.

Circa Martii initium grassari cœpit morbus evidenter malignus; habebat enim omnia phenomena a (178. ad 191.)

723. Hæc vero illi peculiaria erant symptomata. Pulsus magis debiles, inequales, intermittentes, quam in aliis malignis esse soleant.

724. Dolores, si qui aderant, atrocissimi; Thoracis latera, & fauces plerumque vexabant pleuritidem, aut anginam simulantes.

725. Respiratio magna semper, & frequens erat, quamvis Thorax a nullo dolore infestaretur.

726. Urinæ adeo fuscæ fuliginosæ, fœtidæ, ut in nullo morbo similes observaverim.

727. Lingua in principio hujus constitutionis a sanis vix differebat, in statu vero, & fine ejusdem erat, qualis (182.) describitur. Neque alia externa malignitatis signa (180. 183. 186.) magna erant.

728. Alvus ut plurimum stricta, Moriebantur ægri sæpe cum ventris torminibus, & stimulo ad egerendum.

729. Nullum adeo Herculeum inveni remedium quod ad morbum hunc edomandum valeret, dum in gradu erat maximo, & magno; in gradu vero mediocri, & parvo, si alkalicis salibus fixis, aut volatilibus, & aquis aromaticis, ac vesicantium applicatione, vitalis motus augebatur, alvus solvi, & sudor prodire solebat cum juvamine.

C A-

CAPUT XLIV.

De hujus morbi Causa.

730. MOrbos, qui post scorbuticam affectionem grassari inceperunt, a cruditatibus originem suam duxisse, satis supra probavimus.

731. Ab iisdem vero crassitie quadam involutis ortam esse constitutionem [*629.*] vidimus [*648.*, *649.*, *650.*, *651.*]

732. Eadem vero crassitie autumnali tempore fere soluta, cruditatis phænomena (*691.*) rursus observavimus.

733. Sed ab hyberno frigore crassitiem *699.* auctam fuisse, & morbum [*637.*] denuo vigorem recuperasse, pariter notavimus [*697.*]

734. Crassitie ergo illa partim a putredine (*702.*) denuo soluta, partim sponte deliquescente [*281.*]; morbi illi nasci debebant, qui a crudis acribus [*644.*] denuo extricatis, & tamdiu in corpore retentis fieri poterant.

735. Quemlibet autem humorem si diu stagnat in vasis, malignum fieri, & opprimendi vitalem motum vim acquirere probatur cap. de maligni.

736. Quoniam vero succus hic ex propria sua indole vitalem motum opprimendi vim habet [*240.*]; patet ratio, propter quam diu in

Vasis stagnando omnium pessimus, & malignissimus fieri debeat.

737. Hanc constitutionis (716.) fuisse causam ratio a priori nobis indicat: Eamdem vero a posteriori observationes omnes confirmant.

738. Cur enim Tumores [720.] hanc constitutionem præcesserunt? Tumores hi achoribus semper conjunguntur, & ab eadem causa fiunt. Achores autem a cruditatibus acidis pendere omnes fere Auctores fatentur.

739. Cur methodus (718.) damnosa? remedia [718.] si quid crassi (644.) in corpore remanserat, solvebant: hoc igitur modo malignum illud (736.) extricatum integris viribus agere poterat.

740. Cur adeo parvi, inæquales, intermittentes pulsus? Liquet ex [736. 218.]

741. Cur dolores erant atrocissimi [724.]? id videtur pendere ex vi [241.] quæ stagnando augebatur.

742. Cur lethalis fere semper morbus? Liquet ex [736.]

743. Cur tam fuscæ, fuliginosæ, fœtidæ fuerunt Urinæ? Duplicem ob causam id factum fuisse videbatur. 1.° Quia hyeme præcedenti tempestas fere semper sicca fuit; siccitas vero humidum nimis absumit. hinc eodem modo Urina mutatur, ut in experimento Bellini pag. 5. 2.° Quia crudum acre (730.) vitalem motum minuebat 240. in illis vasis, a quibus

con-

continebatur; hinc reliqui ibidem contenti humores putrebant.

744. Cur ab hac putredine non oriebatur effectus (133.)? Patet ex (736., & 218.)

745. Cur ventris dolores, & conatus ad egerendum (728.)? Videbantur hæc esse inanæ naturæ conamina, ut inimicum expelleret (609)

746. Cur (727.)? Humor hic malignus ortus est ex causis a (730. ad 737.); ideo interna malignitatis signa, majora esse debebant, quam externa.

747. Cur respiratio magna, & frequens? Liquet ex vi (736.), propter quam humores tardius per pulmonis vasa movebantur.

748. Cur pleuritides, & Anginæ ab hac causa frequentissimæ? Hæc maligni hujus morbi symptomata non ab indole causæ (736.) hanc constitutionem gignentis, sed ab anni tempore, quo incœpit, pendebant. Quotannis enim humores hyberno tempore in centro retenti versus pleuram pulmones, fauces deferri solent, & hos morbos gignere. Vide Sindenham Van-Swietem. Certe hic morbus autumnis (794.) hæc symptomata conjuncta non habuit.

749. Cur remedia (729.) juvabant? Hæc validissime vitalem motum augent, qui a morbi causa maxime opprimebatur.

750. Cur ab horum usu alvus turbabatur? Hęc est via, per quam cruditates cum juvamine solent expelli.

751. Cur etiam sudor (729.) prodibat? Malignus hic succus vitalem motum minuendo in vasis lymphaticis, serosis, etiam perspirationem minuebat. Hoc ergo a vi vitae superato, & expulso, humorumq. aucta circulatione remediis (729.) materies perspirabilis retenta expelli debebat.

752. Quomodo noscetur haec constitutio? Cognitis causis a (730. ad 737.) Notis phaenomenis a 722. ad 730.

753. Quinam ad hunc morbum magis dispositi? Vide (765. 223.)

754. Quaenam ejusdem prognosis? Morbus hic in gradu maximo, & magno semper lethalis; in mediocri, & parvo curabatur methodo (729.)

755. Quo minor, debilior, inaequalior in tempore, aut robore erat pulsus: quo major, & frequentior respiratio: quo atrociores dolores, & partes oppressae ad vitam magis necessariae: quo majora denique malignitatis signa, eo pejor morbus.

756. Senes ab hoc morbo correpti, nisi in minimo esset gradu, peribant omnes, pueri reliquis facilius curabantur.

757. Indicabantur in hoc morbo, ut in reliquis Malignis excitantia. Motus autem vitalis augebatur remediis (729.) Interea victus tenuis esse debebat, & subalkalicus; potus pariter subalkalicus.

758.

758. Diu tamen horum remediorum usus continuandus erat, nam hic morbus curari non poterat; nisi maligna illa materies obtunderetur, prepararetur, & per apta excretoria expelleretur.

759. Una autem vel altera excretio ad morbosum hunc humorem expellendum non sufficiebat, sed aliquando per viginti, aut plures dies critici illi motus (13. 14. 15.) continuare debebant.

760. Febres (15.) si aliquando a natura excitabantur, nunquam sopiendæ.

761. An venæ sectio in hoc morbo unquam adhibenda? Juvare aliquando plethoricos potest. Ratio liquet ex (118.). Sanguis e vena eductus in hoc morbo cuticula alba durissima tegebatur, & sanguis ipse vix scindi aliquando poterat.

762. Pluribus periculis obnoxiam esse hanc methodum scio; sed quamvis multas alias tentaverim, nullam tamen hac meliorem inveni.

763. Hæc (762.) evitabit ille, qui scit remedia (729.) vitales vasorum oscillationes valide augere, humores solvere, putredinem inducere (1.° 132.); ideoque circumstantias, in quibus damnosa esse queunt, potest noscere.

764. Unum tamen necesse est ut notem; quod cum ego non animadvertissem, maximo cum damno aliquibus in ægris remedia (729.) adhibui;

765. Malignum hoc Miasma opprimebat ſæpe magnos vini potores, in quibus humores ſoluti valde, & tenues eſſe ſolent.

766. Vini enim abuſus gignit effectus (89.) Ratio liquet ex (97. 168.)

767. Spiritus enim ardens in vino contentus, qui humores a putredine ſervare poteſt, cito avolat, facillime immutatur: ab excrementis enim, aut quolibet humore noſtro, ſi diſtillantur, nunquam educitur: ideoque magna copia ſumptus poſtquam aliquantis per vaſa ſtimulavit, ſuas vires amittit, & corpus magis languidum relinquit.

768. Humores autem a putredine liquati, acres, ſi excretio illorum impeditur, morbum acutum poſſunt gignere (166.)

769. Malignum autem hoc crudum (736.) vaſorum oſcillationes minuendo gignebat effectus (768.); Unde tunc morbus ex duplici cauſa naſcebatur; nempe & ex putridis illis humoribus, qui excerni ſolebant, tunc retentis, & ex maligno hoc liquido.

770. A putridis autem illis humoribus excitabantur ſudores aſſidui; tremor manuum; motus vitalis augebatur; a maligno autem hoc liquido minuebatur, hinc tardior, aut celerior erat, quam in ſanitate, prout alterutra vis præpollebat; Dolores tamen (724.), ſi qui aderant, atrociſſimi.

771. Si methodus (729.) adhibebatur, materie

terie (768.) magis soluta, & pulsa in nervosa vasa, effectus 159. nascebantur; unde inexpectata sæpe mors.

772. In hujus morbi cura, si causa (768.) validior est, & vitalis motus nimis glifcit, venæ sectione, laxantibus, demulcentibus ad gradum (17.) reducendus est: ubi vero in eo gradu reperitur, diu in eodem sustinendus, donec obtundatur, & expurgetur (736.): Si vero causa (736.) potentior sit, tunc motus vitalis augendus victu subalkalico, crudum malignum demulcendum gelatinosis; remedia (729.) vero aut omittenda, aut cum summa prudentia iisdem utendum est.

773. Morbus hic (717.) violentissimus fuit eo vere anni 1753.; cæterum crescente in dies æris calore, maligni miasmatis vis sensim minuebatur; pulsus majores erant; morbus (717.) facilius curabatur.

774. Immo in æstatis vigore, deleta fere omni maligni humoris vi (736.) morbi ad putridam, & inflammatoriam naturam magis accedebant, & aliquando adeo violenti erant, ut sedantia requirerent.

775. Hæc tamen si ex acidis petebantur, dolores stomachi, ventris nasci solebant; vitalis motus nimis minuebatur; Malignitatis aliqua signa statim apparebant.

776. Ideirco summa cum prudentia venæ sectio, & demulcentia adhibenda; donec ad gra-

gradum (17.) vitalis motus reducebatur; tunc autem si languere incipiebat, levi aliquo antacido excitari poterat, donec alvus solveretur; sudor prodiret; & morbus vinceretur.

777. Hæc (773. 774.) autem intelligentur optime si ea, quæ notavimus (768.) considebuntur. Crudum malignum vitales vasorum oscillationes minuebat (245.); humorum igitur contentorum corruptionem (245.) promovebat.

778. Humores autem hi corrupti ex sua indole (133.) vitalem motum semper augere, & putridos, aut inflammatorios morbos gignere debebant.

779. Sed eo vere anni 1753., quia vis maligni humoris (736.) longe major erat, quam potentia (778.): hinc morbi ex his causis 736. (778.) geniti ad malignorum indolem magis accedebant. Confer (220.)

780. Increscente vero aëris calore, & minuta vi (736.) morbi ad putridam naturam (778.) magis inclinare debebant.

781. In nullo autem morbo magis, quam in hoc regula (4° 29.) observanda.

CA-

CAPUT XLV.

Observationes aliæ ad eam constitutionem spectantes.

782. IN Chronicis fere omnibus, quos, durante illa constitutione, curavi, aliqua cruditatis (593.) indicia inveni.

783. Urinæ tamen raro aquosæ, pallidæ (246.) observabantur. Ratio liquet ex (245. 777.)

784. Immo cum in his antacida adhiberem, non ita, ut solent, juvabant.

785. Cum autem in horum morborum naturam diligentius inquirerem; cognovi crudum hoc acre glandulas illas tunc frequentissime occupare, quæ mucosæ, aut mucilaginosæ dicuntur; illarum actionem impedire; & proinde bonos illos, qui a secreto hoc muco pendent, effectus tollere.

786. Mucus enim iste defendit intimam intestinorum tunicam, ne a crudorum, & acrium transitu lædatur, vias lubricat; fæces in crassis intestinis emollit; illarum egestionem promovet; vesicam, & urethram defendit, ne ab urinæ acrimonia erodantur; ligamenta, tendines, juncturas inungit, ut motus facilior fit, attritus impediatur.

787. Hujus autem muci secretione ab hoc acri impedita, intestina a crudorum transitu irri-

irritabantur; flatus, & tormina oriebantur; alvus aut nihil, aut dura ficca arida fcybala folummodo egerebat; ftranguria quoque fæpe aderat; dolores rheumatici frequentiffimi erant.

788. Hæc (785. 786. 787.) cum advertiffem, antacida gelatinofis mifcebam: Sic melius cura fuccedebat, & crifis.

789. In doloribus rheumaticis fedantia adhibebam, donec vitalis motus effet in gradu (290.); dein iifdem remediis (788.) utebar.

790. Hac methodo (788.) plures etiam tertianas aut duplices tertianas, intermittentes febres eo anno curavi; aut eafdem cortice peruviano abegi, dein remediis (788.), ne redirent, impedivi.

791. Autumno autem ejufdem anni morbus (717.) denuo vim fufcepit; omnia fere fymptomata (a 722. ad 728.) edebat, præter (724. 728.) Eadem methodo (729.) curabatur.

792. Diarrhæa etiam ab hac caufa (736.) frequentiffima fuit.

793. Sanguinis quoque fluxiones per alvum valde Epidemicæ fuerunt; quæ aliquando pendebant a crudo illo (782.) nondum maligno; tunc vero parum periculofæ erant; & methodo (788.) facile curabantur. Aliquando autem erant malignæ (736.), periculofiffimæ; & methodum (729.) requirebant.

794. Toto autem eo tempore (716.) ftationarii regnantes autumno, & hyeme indolem

(736.)

736.) habebant, vere, & æstate ad naturam (774.) magis accedebant, cum hoc discrimine, quod vis (736.) quotannis decrescebat, vis autem (774. 778.) augebatur. Vide tamen Caput XLVI.

CAPUT XLVI.

Febres quædam putridissimæ ortæ a nimio aeris calore.

795. Dixi (794.), quod vis (778.) quotannis augebatur; idcirco annis 1755., 1756. morbi vere, & æstate magis putridi esse debuissent, quam anno 1754. Res tamen ita non se habuit: nam mense Martii ejusdem anni aeris calor adeo magnus fuit, ut vix mense Julii, aut augusti similis esse soleat.

796. Orti ergo sunt eo tempore morbi putridissimi, periculosissimi.

797. Febres erant continuæ, parum remittentes, quæ 4.°, 5.° die absque manifesta causa sæpe adeo exacerbabantur, ut ægrum interficerent.

798. Pulsus magni, & celeres erant; calor summus; urinæ valde rubræ; respiratio magna, & frequens; alvi excrementa liquidissima, fetidissima; delirium quoque sæpe aderat. Lingua siccior erat, quam in aliis putridis febribus esse soleat, & tecta humore ad flavum magis vergente.

799.

799. Venæ sectionem, & sedentia acida adhibui, sed in eo gradu (798.) semper lethalis fuit morbus.

800. An Venæ sectio nocebat? Hæc humores rarefacit; aeris vero calor idem facit.

801. An frigida (a) applicata, vitalem motum minuendo, putredinem (796.) compescere poterant? Hæc (800. 801.) inquiri debent; sed nihil ab experientia determinare possum.

802. Causa harum febrium liquet ex (795.); & ex (777. 778. 779. 780.)

803. Durarunt parum, remisso circa finem Aprilis calore.

804. Tota tamen illa æstate morbi magis putridi fuerunt, quam præcedente.

805. Illorum Curatio petenda ex capitulo de putredine: ubi in his languere incipiebat vitalis motus decocta ex lignis antisepticis cum juvamine adhibui. Cruditatis phænomena in chronicis (782.) eo anno, & subsequentibus minora fuerunt.

GAPUT XLVII.

Febres periculosissimæ a nimia aeris siccitate.

807. Autumno anni 1755. morbus (717.) fatiscere; & rarior esse incæperat, neque.

(a) *Confer Medic. Hippoc. Gort. aph. 217., aph. 81.*

quæ hyeme subsequente multum de sua vi recuperaverat.

808. Circa Februarii finem, cum putridi morbi (774.) incipere solebant, post summam aëris siccitatem ortus est morbus in vicinis montibus ita illi (717.) similis, ut in duobus ægris similitudine deceptus methodum (729.) tentaverim magno cum ægrorum damno.

809. Pulsus erant parvi, celeres, non ita tamen, ut illi (723.) debiles, inequales, intermittentes.

810. Urinæ rubræ, sed non adeo fuscæ, fuliginosæ, ut illæ (726.)

811. Morbus sæpe pleuritidem simulabat.

812. Respiratio semper magna, & frequens, quamvis etiam thorax liber esset.

813. Calor magnus, febris continua, vespertino tempore recrudescens. Lingua parum a sanis dissimilis. Sitiebant tamen ægri.

814. Signa autem malignitatis (180. 182. 183. 188. 186.) nulla aderant.

815. A venæ sectione pulsus non minuebantur; immo melius se habebant ægri.

816. Diluentia, demulcentia juvabant, a quibus sudor levis cum juvamine excitari solebat.

817. Semper tamen alvus turbata (14.) sudorem (816.) præibat.

818. Parum duravit hic morbus (808.); decidentibus pluviis putredines (774.) ortæ sunt.

CAPUT XLVIII.

De hujus morbi natura, & causis.

819. Morbus hic (808.) natus est eo tempore, quo materies (778.) inflammationes (774.) gignere solebat.

820. Aderat autem causa (777.); a cujus vi hujus materiei generatio pendebat.

821. sed hæc materies (778.) vi siccitatis in tenuiora lympatica vasa attrahebatur.

822. Eadem autem (778.) acerrima esse debebat; cum vi siccitatis diluens aquosa pars exhalasset.

823. Preterea pulmo, & pleura abhac vi magis pati debebant.

824. Pulsus (809.) ab hac causa (778.) non adeo augebantur in magnitudine. Confer (693. 2.° 703.)

825. Urinæ tamen rubræ (810.) esse debebant dissipata diluente parte vi siccitatis.

826. Liquet ergo ex his (821., 822., 823. 824. 825.) ratio omnium phænomenorum (ab 809. ad 817.)

827. Quænam erit morbi (808.) causa? Materies (778.) vi siccitatis in tenuissima vasa attracta, & aquosa diluente parte orbata.

828. Cur methodus (729.) damnosa erat (808.)? Remedia (729.) acrimoniam materiei

(821.)

(821.) augebant, eamdemque in tenuiora vasa magis pellebant.

829. Cur venæ sectio juvabat (815.)? hæc materiem (821.) a tenuissimis vasis revellebat.

830. Cur diluentia (816.)? Liquet ex (808.)

831. Cur decidentibus pluviis (818.)? Res per se patet: hæ enim siccitatis effectus tollebant.

832. Cur præcipue in Collibus grassatus est hic morbus (808.)? An ideo quia humidi vapores ibi rariores erant, & aer magis siccus?

833. Quomodo noscetur hæc constitutio? Notis causis (ab 818. ad 825.), & phænomenis (ab 808. ad 818.)

834. Quomodo curabitur hic morbus? Revellendo venæ sectione semel, bis, vel etiam ter repetita pro varietate temperamentorum ex tenuioribus vasis acrem materiem (821.), eamdemque diluendo, & demulcendo: sic melius preparari a natura, & expelli poterit.

835. ubi tamen morbus est valde gravis; pleura valde inflammata; respiratio multum difficilis; methodus (834.) ad vincendum hunc morbum non valet.

836. Regula tamen quarta (29.), & in hoc morbo observanda:

CAPUT XLIX.

Putredo mucilaginis.

837. AUtumno ſubſequenti anni 1756. rurſus vim aliquam ſuſceperunt morbi a crudo, & maligno miaſmate (736.) pendentes. Sanguinis præcipue fluxiones frequentiſſimæ fuerunt. Symptomata vero has comitantia maligni illius ſucci vim non omnino extinctam eſſe indicabant: methodus tamen (793.) parum valebat; immo circa autumni finem evidenter nocebat.

838. Circa hyemis initium, evaneſcentibus omnibus malignę cruditatis phænomenis, ortus eſt morbus, quem etiam frequenter ſporadicum obſervavi.

839. Hic autem eſt putredo illius mucilaginis, quæ ad varios uſus in pluribus noſtri corporis partibus ſecernitur. Cauſę hujus putredines ſunt, aut imbecillitas virium vitę a morbo quocumque chronico inducta; vel ut mihi videtur, conſtitutio non ſatis valida glandularum illarum; a quibus mucilago hęc ſeparatur in corporibus præcipue fibrę ſiccę, rigidę, fragilis.

840. Harum autem cauſarum (839.) vis augetur ab omnibus illis, quæ ſpontaneam humorum ad putredinem inclinationem majorem faciunt.

841. Hujus autem mucilaginis corruptionem indicant. 1.° Os mane præcipue amarum; multum enim olei continere videtur liquidum hoc.

842. 2.° Urinæ crassæ, rubræ; turbatæ, aut cum sedimento crasso, rubro, aut ad rubrum vergente. Raro enim corruptus hic humor a putredine adeo attenuatur, ut urinas pellucidas relinquat.

843. 3.° Pulsus ut plurimum debiles.

844. 4.° Febres remittentes, inordinatæ.

845. Calor, qui & a putredine, & ab aucto attritu major fit.

846. Cum vero corruptum hoc liquidum amitta eas dotes, quas ante corruptionem habebat; hinc præcipue oriuntur symptomata (787.) frequentia tamen ab hac causa rariora est.

847. Præterea abhoc putrefacto humore liquida reliqua illi valde similia inficiuntur; qualia sunt ex. grat. succus ille gelatinosus, qui in nervorum capsulis secernitur; mucus tracheæ; pingue oleum, quod in capitis parte capillata secernitur; simile liquidum, quod cutem ubique fere inungit; & alia his similia, quorum origo proprietates, & usus facile ex anatomicis cognosci possunt.

848. Putrefactis autem his liquidis oriuntur tusses siccæ; fœtor alitus; stupor partium, ariditas, & fragilitas fibrarum; macies summa; dolores fixi in iis locis, in quibus liquida hæc secernuntur.

849. Si Æger est temperamenti valde infirmi aut a chronico morbo valde labefactatus; si mucilago valde corrupta est, & omnia fere liquida (847.) infecta; si phænomena (848.) jam adsunt, morbus ut plurimum curari non potest.

850. Si vero solæ glandulę (785.) debilis constitutionis sunt, cæterum satis validi temperamenti est æger; si morbus est in principio; si absunt symptomata (848.) curatur exhibendo victum levem, facile mutabilem; remedia vero stimulantia antiseptica, in quibus tamen adsit vicidi aliquid, quod solida inungere, & deficientis mucilaginis vicem gerere queat.

851. Abstineat se æger ab omni re, quę solida siccet, aut enervet, spiritus dissipet, putredinem augeat.

852. Si adsunt (848.) eadem hęc (850.) palliativa remedia.

853. Morbus tamen semper rebellis, pertinax, & curatu difficilis, quia vires vitæ a quacumque causæ infirmatæ difficulter refici possunt, quia humores corrupti crassi sunt, & viscidi, & ideo difficulter emundari possunt solida.

854. Si alvus nihil egerit, sola clismata ex lacte & melle ad eamdem emolliendam sufficiunt.

855. Qualem descripsi, talis fuit semper morbus, dum sporadicum observavi.

856.

856. Circa hyemis initium epidemicus cœpit; noscebatur ex oris amarore, urinis crassis flavis, ad rubrum vergentibus, & phænomenis (787.)

857. Tusses etiam siccæ; dispnœæ; stupores manuum pedumve; pruritus universæ cutis; levissima impetigo; & symptomata alia, quæ facile deducuntur ex (847.) non infrequentia fuerunt.

858. Morbus tamen non adeo rebellis erat, ut esse solet, cum intercurrens est.

859. Curabatur eadem methodo (848.)

860. De die vero in diem acutior fieri cœpit morbus; immo circa finem Februarii post tempestatem diu humidam veras acutas febres ab hac putredine genitas aliquando vidi.

861. Has autem acutas febres ex hac causa natas judicavi ex oris amarore; urinis rubris cum aliquo enæoremate, aut crassis rubris; magna cutis siccitate; doloribus fixis partium, in quibus humores illi (839., 847.) adsunt; phænomenis (787.)

862. In majori malo affectus soporosi aliquando aderant.

863. Periculosæ erant valde, quia nulla putredo caret periculo; quia humor corruptus multum olei continebat, quod acerrimum fit, vasis valde adhæret, & difficulter præparari a natura, & expelli potest.

864. Curabantur reducendo vitalem motum

 gli-

glſcentem nimis ad gradum (17.) vere ſe-ctione & ſaponaceis acidis. Alvus tunc leviter turbari, & urinæ craſſæ copioſe prodire ſolebant.
865. Remanent etiam nunc hujus Epidemici indicia aliqua: idcirco de hoc plura non affero, cum extinctus erit, integram ejuſdem tradam hiſtoriam.

866. Cauſa tamen ejuſdem liquet ex (785.) 279.)

CAPUT L.

Corollaria ex hac historia deducta.

867. Conſtitutiones (325. 430.) manifeſtarum aeris qualitatum vim monſtrant evidenter, dum humanum corpus nullo alio morboſo ſemine infectum eſt.

868. Conſtitutiones (vero 697. 660.) docent, quod ab iiſdem univerſalibus cauſis diverſi effectus oriantur, ſi humana corpora variis morborum ſeminibus infecta ſint, & vario modo diſpoſita.

869. Fermenta morboſa ſi diu in humano corpore retinentur, maligna aliquando fiunt, putreſcunt aliquando: tunc autem naſcuntur morbi, qui partim pendent a qualitatibus illis, quas ante has mutationes habebant, & poſt eaſdem ſervaverunt; partim ab iis, quas ſus cor-

corruptionibus acquisiverunt. Patet id præcipue ex Constitut. (*670.*, *660.*, 487.)

870. Manifestę aeris qualitates, ægrorum temperamenta, & infinitæ aliæ circumstantiæ efficere queunt, ut eadem morbosa semina aliquando tardius, aliquando citius siderentur, aut putrescant; ut hæ mutationes in aliquibus locis fiant, in aliis minime; ut in quibusdam solummodo corporibus nascantur; & hinc maligni, aut putridi sporadici oriantur morbi.

871. Constitutiones (579. 838.) vim causæ (279.) demonstrant.

872. Quo diuturniori tempore stagnat in humano corpore humor aliquis, eo pejor putredo. Patet id ex (702. 499.)

873. Putredines crassorum homorum abhac causa (872.) colliquativæ; quæ 4.°, aut 5.° die adeo exacerbari aliquando solent, ut ęgros interimant. Vide (*499.*), (5.° 703.)

874. Mutationes aeris violentæ, intempestivæ magis periculosæ sunt, quam ordinatę. Vide Const. (*796.*)

875. Semina Epidemicorum in tenuvioribus vasis plerumque generantur; hinc mutationes, quæ in eductę sanguine observari solent, sunt plerumque effectus, non causæ morborum.

876. Morbi Epidemici in Constitutionis initio chronici sensim acuti fieri queunt, si semina morbosa sensim acriora evadant; si eadem orta sint ex aliqua solidorum infirmitate,

te, quæ ſenſim evaneſcat, remanentibus iiſdem morboſis liquidis. Vide Conſtitut. (378., 471., 860.)

Hæc habui, quæ de Epidemicis a me obſervatis dicerem; ſi Deus vitam, & ſanitatem dederit; eamdem hiſtoriam perſequar.



MATERIES MEDICA

Doses remediorum, quæ hic proponuntur sunt pro adultis; idcirco in pueris minuendæ. De victu nihil fere attuli: Facile enim ex Diæteticis in morbis his descriptis victus aptus nosci potest.

Paragraph. 93.

Mulcentia generalia omnium acrium sunt olea expressa blanda seminum farinaceorum; emulsiones ex iisdem; mucilagines, decocta ex herbis insipidis inodoris; Gummi viscosa insipida; Lac, butyrum, gelatinæ, cornu cervi, eboris. Vide Boerhaav. tract. de viribus Medic. cap. IV. Demulcentia quoque specifica ibidem vide.

Ad diluentium classem fere sola aqua spectat. Decoctum diluens, & mulcens.

℞. Fol. recent. Malv.
Cichor.
Endiv. an. m. I.
Radic. gramin.
cichor. an. ℥. I.
Aquæ ℔. VII.
Ebull. per $\frac{1}{2}$ horæ.

Paragraph. 94. Num. I.

Quænam sint laxantia, vid. in Boerhaav. tract. de viribus Medicam. cap. III. & Mater. Medic. de Gorter. cap. 71. ex. g. Laxans in acutis optimum.

℞. Semin. 4. frigid. maj.
min. an. ℥. III.
Aquæ ℔. VII.

F.S.A.

F. S. A. emulsio.

Bibat æger, quantum lubet

N. 2.

Purgantia Antiphlogistica sunt

Manna

Cassia

Pulpa Tamarind.

Sæpe fructuum horrei.

Decocta ex herbis emollientibus; Tartaruli, & alia his similia ex. gr.

℞. Pulp. rec. Cass.

Tamarind. aa. ℥. VI.

Cryſtall. Tartar. ℥. II.

M. F. Bol., vel

℞. Mann. recent. ℥. I5.

Aquæ ℥. V.

M. F. Potio

N. 3.

Nitrosa vid. in mat. Medic. David. de Gorter. N. 5.

Acida vid. in ead. mat. N. 35. & in materia Med. Boerhaav., ubi agit de stimulantibus N. 1. ex. gr.

℞. Succ. Citr. ℥. ʒ.

Limon.

Aurant. an. ℥. II.

Aquæ ℔. IV.

Sacchar.

quantum ʒ.

q. s. ad gratum saporem, vel

℞. Aquæ

℞. Aqu. Hord. ℔. III.
Rob. Ribes. ℥. III.
Spir. Sulphur. p. c. q. s.
ad gratum acorem
Bibat quantum lubet.

Paragraph. 108.

Causa distrahens frequentissima est Plethora, quae venae sectione tollitur. Si autem fibrae ex vita nimis otiosa, mala nutritione, aquae tepidae abusu, aere nimis humido laxae sint, Chalybeata adhibenda, & motus muscularis imperandus; relictis omnibus illis, quae fibras laxare possunt.

℞. Limatur. Mart. ℥. II.
Acet. optim. ℔. II.
Stent in digestione per mensem; dein calefiant, ut remaneant
Tincturae duplicatae ℥. IV.
Sumat aeger mane, & vespere ℨ 5.
hujus tincturae in jusculo, aut alio simili liquido.

Paragraph. 155.

N. 1. Acid. vid. parag. 94.
N. 2. Exsicc. vid. David. de Gorter. N. 66. in acutis putridis Bolus Armena est omnibus ut plurimum praeferenda.

N. 3.

N. 3. Balsamica, & Aromatica in Chronicis vid. David. de Gorter. 9. 10. Mater Medic. Boerhaav. sec. 75. ex. g.

℞. Rad. Bardan.
Cin.
Sarsæparill. an. ℥. 5.
Aquæ ℔. VI.
Ebull. per ½ horæ; depura, & adde
Syrup. v. radic. aper. ℥. II.
Bibat æger ℥. IV. tertia quaque diei hora, vel

℞. Lign. Santal. alb.
Citrin.
Rubr. an. ℥. III.
Aquæ ℔. VI.
Ebull. per ½ horæ; depura, & adde
Syrup. v. rad. aper. ℥. II.
Bibat ℥. IV. tertia quaque hora, vel

℞. Gumm. Ammoniac.
Galban.
Mirr. an. gr. VI.
F. Pilul. III.
Sumat II. mane, & unam vesperi, vel

℞. Balsam. peruv. gr. XVIII.
Sacch. q. f.
U. F. Pilul. III. eodem modo sumendæ.

Horum remediorum usus tamdiu continuandus est, donec morbus evanescat.

156. Aromaticum.

℞. Aqu. tot. citr. ℥. II.

Me-

Mellis. ℥. iv.
M.
Bibat ℥. s. omni hora interdiu.

176.

℞. Lact. recent. ℥. viii.
Sumat quater de die cum ℥. i. panis biscocti; nec utatur alio cibo. Augeri, aut minui debet lactis quantitas, prout magis, aut minus valent ægræ vires. Lactis usus per multum temporis continuandus est: sensim vero ad solidiorem cibum deducenda est ægra. Interea pro potu utatur aqua simplici.

175.

Equitatio juvat præcipue illos, qui ex affectu aliquo tristi, diuturnis meditationibus correpti fuerunt hoc morbo. Debet fieri leniter per loca amœna, & sensim crescere. Non juvat, immo fortassè damnosa est equitatio, si putredo orta sit ex humoribus crassioribus vi nimia pulsis in vasa tenuiora, & ibidem stagnantibus; aut alia simili causa.

248.

Quinam sit victus subalkalicus, nosci potest ex materie medic. Clar. Boerhaav. sec. 66. N. i.

℞. Aloes.
Sal. Tartar. fix. an. ℈. s.
Vitell. ov. q. s. ut
F. Pilul. iii.
Sumat æger ii. mane, & i. vespere.

Harum pillularum usus per multum tempus continuandus est. Ventriculum roborant, solida stimulant, & alvum leniter solvunt. Attendendum tamen est, ne ægri nimio cibo ventriculum gravent: nam ut plurimum valde esurire solent. Notandum quoque est, quod ego iis alkalicis salibus usus sum, qui in officinis nostris prostant non valde acres, nec perfecte alkalici; si autem acriores essent, illorum dosem minuere oporteret: nam vide Boerhaav. mater. medic. ubi agit de stimulantibus N. 4.

249.

℞. Sal. Tartar. fix. ℈. 1.
F. Pulv. 11.

Sumat unam mane, & alteram vespere in jusculo.

253.

Alvum ducunt, ventriculum roborant, & abstergunt, Aloe præcipue, & Rhabar.

Paragraph. 315.

Diluens Laxans.
℞. Fol. Cichor.
Endiv.
Chondrill.
Tarax.
Tragopon. an. m. 1.
Aquæ pint. 11.

Ebull.

Ebull. per $\frac{1}{4}$ horæ; dein depura.

Bibat æger quantum lubet.

Valent etiam decocta ex mucilaginosis, farinosis; emulsiones ex seminibus refrigerantibus oleosis. Hæc tamen adhibenda tantummodo in corporibus siccis, & fibræ rigidæ; aut si aer valde siccus est. Ut plurimum sola saponacea acida sufficere solent. Talia sunt Rob. Sambuc. Fragorum, & aliorum similium fructuum: gelatinæ ex iisdem: Oximel e. g.

℞. Rob. Sambuc.
Ceras. an. ℥. 1. s.
Aquæ ℔. 1.
M.

Sumat ℥. 1. omni hora interdiu.

Ubi major adest putredo; & febris ad indolem acutarum magis accedit, addi his possunt etiam acida validiora, quæ putredinem magis cohibent, qualia, quæ dicta sunt paragr. 94. N. 3.

317.

Purgans saponaceum acidum.

℞. Cryftall. Tartar. ℨ. v.
Dilue in sero Lactis, & ægro exhibe.

352.

Diaphoretica apta erant decocta paragraphi 153. descripta. Mane præcipue hæc bibere debebat æger, & se ad sudorem componere, qui quamvis raro prodiret; tamen æger co-

piose perspirabat. Id autem ad morbum vincendum sufficere poterat.

553.

℞. Flor. Sambuc.
Chamaemel.
Melilot.
Fol. Salv.
Absinth.
Rut. an. m. I.

Decoque per ½ horae in aquae pintis III. pro fomento.

Victus aptus erat ille, qui confertim, & velociter nutrit; cui plenior Diaphoresis solet supervenire.

368.

Clysma aptum.
℞. Jur. Carn. ℥. x.
Vitell. Ov. n. II.
Mell. ℥. IV.
M. F. Clysma.

Eccoproticum.
℞. Mannae electae ℥. II.
Aquae ℥. V.
M. F. Potio.

371.

Fomentum emolliens, diluens, saponaceum.
℞. Fol. Cichor.
Endiv.

Tara-

Taraxac. an. m. iii.
Aqu. ℔. VIII.
Ebull. per horam, depura, & adde
Mell. ℥. IV.
M. pro fomento.
Decoctum ore sumendum.
℞. Rad. Gramin ℥. III.
Fol. Parietar.
Cichor. an. m. j.
Semin. Contus. Papav. alb. ℥. s.
Aqu. ℔. V.
Ebull. per ½ horæ; depura, & adde
Mell. ℥. III.
Bibat ℥. II. omni bihorio.

387.
Absorbens refrigerans.
℞. Amyl. ℥. I.
Sacchar. Satur. ℈. I.
Cretæ alb. ℥. s.
M. F. Pulv.

Portio hujus pulveris linteo subtili inclusa ter, quaterve de die parti affectæ applicetur. Sed & quælibet farina, aut tritici, aut secalis, aut alius similis seminis etiam mola triti ad ignem siccata, dein affectæ parti applicata juvat.

390. Diaphoretica refrigerantia.
℞. Succ. expres. Citr. ℥. s.
Aurant. ℥. II.
Syrup. Moror. ℥. II.

Aq. destill. Meliss. ℥. iv.
Citr.
Cinamm. an. ℥. i.
Vini meri optim. ℥. iv.
M.

Sumatur omni hora ℥. i. interdiu, vel

℞. Aqu. Borrag.
Meliss.
Ceras. nigr.
Fragor. an. ℥. ii.
Spir. Sal. dulc. ʒ. s.
Syrup. Moror. ℥ i. s.
M.

Bibat ℥. iii. tertia quaque diei hora.

414.

Victus acescens est succus hordei; lac dilutum aqua; fructus bene maturi; olera

445.

Purgantia incidentia. Vide Mater. Medic. Boerhaav. sec. 1160. l. a.

Incidentia vid. Mater. Medic. ejusd. Auct. 1160. l. b.

460.

In ægris, qui ante hunc morbum crudo acido laborabant.

℞. Tinctur. Sal. Tartar. Helmond. ʒ. i.

Bibat ʒ s. mane, & ʒ. s. vespere in jusculo.

475.

Incidens aptum in illis inflammationibus.

℞. Cry-

℞. Cryftall. Tartar. ʒ. s.
Sumat in fero Lactis.

485.

Aquæ Meliff. ℥. iii.
Tot. Citr. ʒ. ii.
Elix. propriet. fin. acid. ℈. i. s.
Bibat hujus mixturæ ʒ. i. s. tertia quaque hora diurno tempore, vel
℞. Tartar. Vitriol. ʒ. s.
Elæofacchar. Meliff. ℈ ii.
F. Pulv. IV.
Sumat unam mane, & aliam vefpere in jufculo.

495.

Vinofa Alexipharmaca.
℞. Vin. Cipr. ʒ. ii.
Aq. Meliff. ʒ. viii.
Hord. ʒ. x.
M.
Bibat ℥. iv. hujus mixturæ quater de die.
℞. Emplaftr. Vefic. ʒ. ii.
F. Emplaf. vi.
Applicentur feminibus.

502.

Acida vide 94. N. 3.

567.

Mulcentia, Laxantia, Antiphlogiftica erant præcipue emulfiones ex feminibus frigidis; clyfmata ex decoctis herbarum mucilaginofarum: gargarifmi: fomenta ex iifdem.

569.

569.

Diureticum blandum.

℞. Rad. gramin.
Rusc.
Petroselin.
Fœnicul. an. ℥. II.
Imperat. ʒ. I.
Semin. Bardan.
Petroselin. an. ℥. s.
Aq. Commun. q. s.
Coq. collatur. ℥. xxxxx. exhibe
Omni hora ℥. I. s. calide potanda.

570.

Victus aptus.

℞. Panis biscocti ℥. II. s.
Aqu. ℥. xIV.
Ebull. per horam, addendo quantum coctione exhalat aquæ; dein depura, & adde
Vin. Cypr. ℥. III.
Aq. Cinnam. ℥. II.
Sacchar. q. s. ad gratum saporem
Bibat ℥. I. omni hora calidam.

572.

Fomenta abstergentia penetrantia fiunt ex decoctis Rorismarini, Salviæ, Rutæ, Scordei, alliariæ.

Decoctum muniens sanguinem a pestis infectione.

℞. Radic. Bardan.
Cin. an. ℥. s.

Sar-

Sarsæparill. ℥. iv.
Aquæ ℔. iii.
Ebull. per ½ horæ; depura
Bibat ℥. i. omni hora.
607. Vid. Formul. 253.
608.
℞. Passul. Corinth.
Coquantur in vino generoso veteri; tusas excerne per setaceum: dein admisce
Conserv. Absinth. Roman. ℥. iii.
Cortic. Citr. condit.
Cinam. an. ℨ. i.
Pulv. Aromat. Rosat.
Diamargariton calid.
Diacinamomi an. ℈. ii.
Aloes ℨ. s.
Croci. ℈. s.
M. F. Electuarium.
Sumat de hoc bis, aut ter de die ad nucis muscatæ magnitudinem.
632.
℞. Cortic. Peruv. ℥. i.
F. Pulv. viii.
Sumat ℨ. i. bis de die tempore apyrexiæ.
655.
Specifica incidentia.
℞. Aq. stillat. Absinth.
Majoran.
Menth. an. ℥. i. s.
Extrac. Absinth. ℨ. iv.

Sal.

Sal. Ammoniac. ʒ. ß.

M.

Bibat hanc mixturam tempore apyrexiæ, *666.*

Specifica antisepticis mixta.

℞. Aq. stillat. Absinth.
Majoran.
Menth. aa. ℥. i.
Meliss. ℥. iij.
Tot. Citr. ℥. i.
Cinamom. ʒ. iij.
Extrac. Card. Sanct. ʒ. iij.
Sal. Ammoniac. ℈. i.

M.

Bibat ℥. ß. hujus mixturæ qualibet diei hora.

℞. Cortic. Peruv. ʒ i.
Nuc. Muscat. ℈. s.
Fiant Pulv. ii.

Sumat hos pulveres in jusculo quotidie. Specifica tamen in prima formula *666.* descripta longe magis valebant, quam cortex Peruvianus hoc modo sumptus. Quo minori cum frigore; & quo magis inordinati erant paroxismi morborum *660.*, eo minus valebat Peruvianus Cortex.

757.

Excitantia.

℞. Aq. tot. Citr. ℥. iii.
Meliss. ℥. vi.

Sal.

Sal Tartar. fix. ℈. I. s.
Spir. Sal. Ammon. ℈. II.
M.
Bibat ℥. IV. omni hora interdiu.
Potus subalkalicus est jus valde dilutum, vel

℞. Rasur. Ebor. m. II.
Aqu. ℔. VIII.
Ebull. per horas III.
Pro Potu assiduo.

772.
Gelatinosa.
℞. Cancr. Fluviat n. VI.
Aqu. ℔. IV.
Ebull. per horam; deinde conterantur, & ebull. denuo per aliam horam in priori jure; tum jus fortiter exprime. Valent etiam gelatinae C.C., Ebor.

776.
Antacidum leve.
℞. Nuc. Muscat. ℈. s.
Flor. Sulphur. ℨ. s.
Sal Tartar. fix. ℈. s.
F. Pulv. II.
Sumat unam mane, & alteram vespere

778. vid. 776. 772.
Decoctum Antisepticum, in quo adest aliquid viscidi.
℞. Hord. Mund. ℥. VI.
Aqu. ℔. VI.

Bull.

Bull. per horam; dein adde
Radic. Bardan.
Cin. an. ℥. VI.
Sarsæparill. ℥. III.
Ebull. iterum parum, & depura,
Bibat ℥. v. quater de die.

F I N I S.

Pag.	lin.	*Errat.*	*Corrige*
3	1	sunt	sinunt
3	12	Considerанti	Considerans
3	23	Patrocinii	Patrocinio
13	1	nocturnique	nocturnisque
13	20	cæcitatem	O cæcitatem
16	28	pareret	careret
22	1	demonstratum	demonstrant
67	1	nimis	nimii
133		Tervisio	Tarvisio

